This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 44FC J

Digitized by Google

S 5578.6

יהוה

Digitized by Google

107 61

Digitized by Google

Digitized by Google

QUATUOR EVANGELIORUM

TABULAE SYNOPTICAE.

JUXTA RATIONES TEMPORIS

QUOAD FIERI POTUIT COMPOSUIT,

ANNOTATIONIBUSQUE

EX PERPETUA SECTIONUM SINGULARUM COLLATIONE

INSTRUXIT

HENRICUS NICOLAUS CLAUSEN,

PHIL. ET THEOL. DR. HUJUSQUE IN UNIV. HAUN.

PROF. PUBL. EXTR.

HAUNIÆ.

TYPIS EXPRESSIT ANDREAS SEIDELIN,

AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Prolegomena.

I.

In libris sacris Novi Foederis, formam externam quod attinet, nihil est quod animos Christianorum magis attentos et suspensos tenuit, nihil quod ingenia theologorum ab antiquis inde ecclesiæ seculis magis occupavit et exercuit, quam mira illa et singularis ratio, quæ *singulis Evangeliis* uni cum altero intercedit. Docet enim comparatio instituta, in Evangelio quarto tantum non omnia nova esse, paucissima ei cum tribus prioribus communia, in his vero singulis *alia* eaque longe plurima ita conspirare, ut ex tanto rerum gestarum numero eædem res ordine eodem quin verbis etiam formulisque dicendi iisdem enarratæ sint, *alia* in magno rerum narratarum consensu mira quadam styli varietate insignia esse, *alia* sive ratione temporis et loci sive rei ipsius narratæ dissentire, ut vix et ne vix quidem inter se conciliari possint, *alia* denique huic vel illi commentariorum libro propria esse, in reliquis desiderari.

Hæc omnia vero ut sedulo operaque data inter se conferantur, omnia suadent et flagitant. *Sive* enim

Digitized by Google

eorum, quæ Dominus his in terris docens, agens, patiens effecit, narratio quæritur, neque plenam neque accuratam habebis nisi ex commentariis singulis collatis et compositis; *sive* munus interpretis agitur, cavendum est, ne aut eadem cum tædio lectorum sæpius repetantur, aut hoc dum fugimus, ne in magna ceteroquin similitudine singula quæ diversa sunt, attentione sæpe dignissima, oculos fugiant; imovero egregie plerumque, si quid in uno libro brevius, obscurius, ambigue dictum est, sensus collatione cum altero instituta illustratur; *sive* quæstiones criticæ tractantur, quanam indolis ac styli diversitate commentarii singuli differant, quænam eorum fuerit origo, ex qua facillime explicentur ea, in quibus sive consentiunt sive dissentiunt, ecquis non videt, omnia hîc a comparatione justa et accurata pendere. Neque — ut hoc quoque attingam — usus religiosus studiis hisce gravissimus deest; nam quum traditiones evangeliorum sæpius dissentire et inter se pugnare videntur, interdum etiam pugnant, ipso pietatis sensu, ne nos dissensionis species offendat et conturbet, ad collationem instituendam adducimur, ut, si fieri ullo modo possit, species contradictionis removeatur, sin minus, ut ostendatur in rebus quotquot ad fidem pertinent consensus integer; quod ait *Chrysostomus:* "*ἐι δὲ τε περὶ καιρῶν ἤ τόπων διαφόρως ἀπήγγειλαν, τοῦτο ὀυδὲν βλάπτει τῶν εἰρημένων τὴν ἀλήθειαν ... ἐν τοῖς κεφαλαίοις καὶ συνέχουσιν ἡμῶν τὴν ζωὴν ὀυδαμοῦ τις ἀυτῶν ὀυδὲ μικρὸν διαφωνήσας ἐυρίσκεται.*" (præf. ad Matth.).

II.

Neque defuere, qui his rationibus commoti labori isti operam studiumque impenderint.

Digitized by Google

Ex primis rei christianæ seculis quinque viri, ecclesiæ græcæ doctores, afferri possunt *):

Tatianus Syrus (sub finem sec. 2di), auctor operis notissimi, quod nomine venit ἐναγγέλιον διὰ τεσσάρων (*Euseb.* H. E. IV. 29. *Theodoret.* hæret. fabul. compend. I. 20.); sed jamdudum, sive injuria temporis sive odio orthodoxorum sæviente, interiit, neque ex paucissimis quæ supersunt testimoniis aliorum, quodnam fuerit consilium quæ ratio libri satis cognoscere licet **).

Theophilus, episc. Antioch. Tatiano fere æqualis, ab *Hieronymo* auctor harmoniæ dicitur ***), "quatuor evangelistarum in unum opus dicta compingens" (ep. 151 ad Algas. quæst. 5); neque vero hoc aut ætatem tulit aut ullum sui vestigium reliquit.

---

*) Cf. *Augustin.* ser. 240 n. 1: "Ut ostendatur evangelistas omnes non inter se dixisse contraria, valde operosus est labor; nonnulli enim putaverunt, eos inter se esse contrarios, quum ipsi essent contrarii animæ suæ, et ideo data est opera ab iis qui potuerunt adjuvante Domino, ut ostenderentur inter se non esse contrarii." De operibus illis eorumque quæ restant fragmentis accurate actum est a *Joh. Millio* in prolegom. ad N. T.

**) Mutilum fuisse historiæ J. Chr. exemplar, constat ex *Theodoret.* l. l.: βίβλιον σύντομον τὰς τε γενεαλογίας περικόψας καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν Κύριον δείκνυσιν" — ex aliis evangeliis compositum, vid. *Euseb.* l. l. "συνάφειαν τινα καὶ συναγωγὴν οὐκ οἶδα ὅπως τῶν εὐαγγελίων συνθεὶς." — De harmoniis suppositiis sub nomine Tatiani venditatis vid. *Fabric.* bibl. gr. VII p. 91 s. *Walch.* bibl. patrist. p. 358.

***) Nam mera conjectura Valesii est, neque plus esse voluit vir doctissimus, Hieronymum memoria lapsum Theophilo tribuisse quod Tatiano competebat (annotatt. ad Euseb. H. E. IV. 29).

Digitized by Google

Ammonii Alex. (c. 220) harmonia evangelica paucis describitur in *Euseb.* ep. ad Carpian: "*τὸ διὰ τεσσάρων ἐναγγέλιον, τῷ κατὰ Ματθαῖον τὰς ὁμοφώνους τῶν λοιπῶν ἐναγγελιςῶν περικοπὰς παραθεὶς*" superest versio ejus latina capitibus 181 constans, quæ curis Victoris Capuani (sec. 6to) debetur *).

Eusebius Cæsareensis (c. 300), præeunte Ammonio ("*ἐκ τοῦ πονήματος τοῦ προειρημένου ἀνδρὸς ἐιληφὼς ἀφορμὰς.*" ep. ad Carpian.), decem concinnavit canones s. titulos, synopsin aliquam exhibentes; rationem ("*ἑτέραν μέθοδον*") ipse in epistola ad Carpian. indicavit: unam eamque primam sectionem continere narrationes evangelistis quatuor communes, tres continere eas quæ apud trinos, quatuor quæ apud binos, unam quæ apud singulos reperiuntur, ut appareret, quot auctores in singulis idem haberent. Hodie et græce exstant et latine ex versione Hieronymi **) (vid. præf. H. in quatuor evv. ad Damas.).

Alium Eusebii librum περὶ τῆς τῶν ἐναγγελίων διαφωνίας, cujus mentionem *Hieron.* fecit in catal. scriptt. eccles. c. 81, deperditum ægre ferimus ***).

Hesychius Hierosolymit. (quis fuerit, quo tempore vixerit, non liquet) conscripsit *συμφώνιαν ἐναγγε-*

---

*) Exstat in bibl. patr. ed. Paris. t. VII. p. 27—94, cui alia accedit harmonia latine edita ab *Ottom. Luscinio* Augustæ Vindel. 1523 (bibl. max. pp. Lugd. t. II p. 203–212), quæ nomen Ammonii præ se fert, sed junioris sine dubio. Cf. *Fabric.* cod. apocr. N. T. I. p. 378 s. *Walch.* bibl. patrist. p. 359.

**) In editione Milliana N. T. præmissi sunt evangelio Matth.

***) Fragmenta libri paucissima in catenis servata et ex mole earum eruta commemoravit *Fabric.* bibl. gr. VII p. 402.

Digitized by Google

λικὴν, cujus epitomen dedit sub titulo *συναγώγη ἀπορίων κ. ἐπιλύσεων Cotelerius* (monum. eccl. gr. t. III p. 1—54); adsunt 61 quæstiones totidemque responsiones, in quibus sæpius, ad ambages excurrens, difficultates magis evitasse quam solvisse videtur.

His addendi sunt qui in iis evangeliorum locis, qui dissentire inter se videbantur, explicandis conciliandisque desudaverint: *Julius Africanus* (c. 220), auctor epistolæ ad Aristidem deperditæ *περὶ συμφωνίας τῆς ἐν τοῖς εὐαγγελίοις γενεαλογίας*, cujus argumentum Eusebius (H. E. I. 7) occasione data proposuit, et *Aurel. Augustinus* in opere præstantissimo: de consensu evangeliorum ll. IV, inque oratione 50ma de concordantia Mt. et Lucæ, in quibus haud pauca certe duriter et contorte, multa vero bene et egregie, omnia argute et ingeniose disputata sunt *).

III.

Deinde — ut eos omittamus scriptores, qui per secula medii ævi ecclesiæ magis quam Evangelio operam studiumque dicabant — ex quo Sacræ Scripturæ honor, litteris bonis auctoritas, ingeniis libertas reddita est, longa prodiit harmoniarum et concordiarum evangelicarum series **). Ex tanto numero paucas h. l. afferre sufficiat.

Andr. Osiandri harmoniæ evangelicæ ll. IV gr. et lat., item elenchus harmoniæ et annotationum liber unus (ad manus mihi fuit edit. Froben. Basil. 1704 fol.).

---

*) Cf. librum à me editum: Aur. Augustinus S. Scripturæ interpres 1827. p. 100—116.

**) Auctorum nomina et tituli librorum fere 150 enumerati sunt in *Fabric.* bibl. gr. IV p. 882—89.

Digitized by Google

Joh. Calvini harmonia ex tribus Evangelistis composita, adjuncto seorsum Johanne, quod pauca cum aliis communia habet (ex edit. 2da Rob. Stephani 1560. fol.).

Mart. Chemnitii harmonia quatuor Evangelistarum, quam continuavit *Polyc. Lyserus*, perfecit *Joh. Gerhardus.* (ex edit. Hamburg. 1704. fol.) *).

Geo. Calixti concordia evangelistarum ex ejus dictatis edita. Halberst. 1624. 4.

Gerh. Joh. Vossii harmoniæ evangelicæ de passione, morte, resurrectione ac adscensione J. Chr. ll. III. Amstelod. 1656. 4.

Joh. Lighfootii harmoniæ quatuor Evangelistarum tum inter se tum cum V. T. III partes usque ad secundum festum paschale (in Opp. t. I p. 233—548, ex edit. Rotterod. 1686. fol.).

Joh. Clerici harmonia evangelica, cui subjecta est historia Christi ex quatuor evangeliis concinnata. (ex edit. Amstelod. 1699. fol.).

Joh. Reinh. Rus: harmonia Evangelistarum ita adornata, ut investigata sedulo textus cohærentia nullus versus sive trajiciatur sive prætereatur sine brevi ac succincta explicatione. Jen. 1727—30. IV voll. 8. (Opus eruditione et accurata diligentia insigne, sed ob rerum quæ congestæ sunt nimiam molem lectoribus molestum).

Eberh. Dav. Hauber: Harm. der Evangelisten, d. i. Uebereinstimmung u. Vereinigung ihrer Beschreibungen des Lebens J. Chr. Lemgo 1737. 8.

*) In opere hocce, vero eruditionis thesauro, excitando commodius visum est, ne quis opus diversum esse putaret, *Chemnitii* primi auctoris nomine per partes omnes uti.

Digitized by Google

Joh. Alb. Bengel: richtige Harmonie der vier Evangelisten, da die Geschichten, Werke u. Reden J. Chr. in ihrer geziemenden natürlichen Ordnung vorgestellet werden. Tübing. 1747. 8.

Ant. Frid. Büsching: die vier Evangelisten mit ihren eigenen Worten zusammengesetzt, auch mit hinlänglichen Erklärungen versehen. 1r. B. Hamb. 1766. 8.

Ernst Aug. Bertling: neue Harmonie der vier Evangelisten. Halle 1767. 8.

Ordinem chronologicum tentarunt quoque componere, indice narrationum brevi exhibito,

Joh. Dav. Michaelis in libro notissimo: Einl. ins N. T. II p. 898 ss., et

Gottl. Chr. Storr in libro: über den Zweck der evang. Geschichte Johannis p. 307—355.

IV.

Sed fatendum utique est, in *harmoniis* ita dictis longe plurimis parum bene, temere plerumque ac inconsiderate rem actam esse. Cujus rei causa facile princeps opinio præconcepta fuit de *inspiratione verbali*, quæ animis theologorum ita inhærebat, ut nefas existimarent sive in rebus singulis historicis, geographicis, chronologicis sive in rerum ordine et nexu errorem vel negligentiam et qui inde ortus est dissensum Evangelistarum admittere; quare artificiorum et conjecturarum nihil intentatum reliquerunt, quantumvis ipsa contextûs ratio et sanæ interpretationis regulæ obstarent, ut maculæ illæ abstergerentur et consonantia perfecta efficeretur. Sic in narrationibus quoque, ceteroquin ita paribus, ut de identitate difficile sit dubitare, si nexus, si locus vel tempus, si nomen aliquod

Digitized by Google

vel numerus forte in aliis alius esset, non dubitabant diversitatem rei narratæ proclamare et acriter defendere, ne unus videretur altero rectius et accuratius rem enarrasse, vel ordinem narrationum ab altero diversum tenuisse. Ita vero harmoniam evangeliorum nequaquam effici, nemo non videt, si harmoniam dicimus commentarios ita conciliatos, ut series narrationum quantum fieri possit apta et continua decurrat; imovero quid isti fecerunt, nisi narrationum numerum mirum in modum augere et omnem historiæ veritatem conturbare, quum, quot essent narrationis ejusdem exemplaria, tot sibi historias diversas fingerent, ut rem eandem, sæpe eodem omnino modo narratam, bis ter et quater in scenam productam videas.

Inter eos qui quæstiones criticas ob sanam crisin neglectam perperam solverunt sive, ut verius rem dicam, haud solutas aut magis impeditas reliquerunt, nemo videtur, superstitione dogmatica ductus, contra manifestam veritatis lucem vehementius egisse, quam *Andr. Osiander* *), cujus in narrationibus multiplicandis temeritati etiam qui eodem tempore et brevi post

*) Vid. Harm. evv. in præf. "semper in hac fui sententia, quatuor evangelistas tantam non modo suæ diligentiæ industriam, verum etiam Spiritûs S. ἐνέργειαν ad scribendum attulisse, ut *verbum nullum ac ne litteram quidem ullam*, nisi certissima historiæ veritate invitante ac Spiritu S. approbante, libris suis inseruerint. Itaque, quamvis prima facie tam in rebus ipsis quam in ordine rerum alicubi discrepare viderentur, nunquam tamen dubitavi, quin sub tali specie perturbatæ dissensionis *ordinatissimus et perfectissimus* lateret omnium rerum *consensus*, quem quisquis explicare et in lucem producere posset." Mira interpretationis commenta exempli instar allata sunt infra p. 122. 158 in notis.

Digitized by Google

vixerunt, *Calvinus*, *Chemnitius*, *Lyserus* et *Gerhardus* *) sese opposuerunt. Sed, ut voce et stylo liberiore in ordinem et oeconomiam evangeliorum inquireretur, exemplo primus præivit *Bengelius* ille, criticæ sacræ inter Germanos pater et patronus, qui ut in libro supra nominato multis audacius agere visus est ita inprimis ob transpositiones et translocationes, quas necessarias esse ut harmonia efficeretur intelligebat, male inter eos audivit, quibus ingenuum veritatis studium cum pietate fidei haud constare posse videbatur **).

---

*) Vid. Harm. evv. in præf. p. 8. 19: "(Osiander) sentit contra totam antiquitatem, Evangelistas *nihil vel per antecipationem vel per recapitulationem* narrasse, sed singulos in suo contextu et ordine tempus et seriem rerum gestarum servasse. — Sed diligens consideratio et collatio circumstantiarum ordinem sæpe diversum clamitant."

**) Qui præ ceteris Bengelium hac in re impugnabat, Dav. *Hauber* non solum negavit, necessitatem vel rationes justas adesse ab ordine evangeliorum singulorum recedendi, sed, quod fieri solet, ut argumentis criticis nova vis ex dogmaticis accederet, monuit ab impietate non procul abesse tantam in evangeliis tractandis libertatem, neque enim cum majestate Dei et Spiritus S. neque cum auctoritate Scr. S. constare, si quis justum rerum ordinem interdum ab Evangelistis neglectum esse credat. Bonum virum refutavit Noster ea qua solebat ingenii vi et animi æquitate (Harm. d. Evv. p. 193—294); docuit nihil ineptius esse et magis a vera pietate alienum, quam ex notione religionis perperam præconcepta evangeliis acribeian chronologicam obtrudere velle, cui libri ipsi aperte repugnent, imovero sine hac transponendi libertate nullam omnino harmoniam existere posse; virum ipsum audiamus: "neue Entdeckungen in der Schrift zum Wachsthum in der Erkenntnisz u. Rettung der Wahrheit u. zur Aufnahme der Gottseligkeit soll

Digitized by Google

V.

Res autem antea aut male aut minus bene et feliciter acta nostris etiam temporibus eo nocuisse videtur, quod inde potissimum sine dubio factum est, ut studium et laborem historiam evangelicam ad momenta chronologica revocandi exque perpetua commentariorum collatione concinnandi plerique hodie omnino vanum et inutilem declarent, in quo præter bonam voluntatem nihil laudari possit ac debeat: scilicet, quum evangelistæ omnia alia potius quam historiam continuo decurrentem dare voluerint; ex auctoritate illorum nullum omnino rerum narratarum ordinem constitui posse, sine auctoritate eorum rem ad merum arbitrium devolvi *).

---

man mit Dank annehmen u. getreulich fördern; aber alle Evangelisten in eine so gar eingeschränkte Ordnung bringen wollen, ist eine Neuerung, die .. widrige Folgen haben kann. — Darum ist est Zeit u. Noth gute Erinnerung zu thun; denn auch treffliche Männer gehen diesen Weg. Wem nun eine einmal angenommene Meinung nicht so lieb ist als die Wahrheit selbst, der kann hier von solcher Unpartheilichkeit eine löbliche Probe zeigen." (l. l. p. 208 f.).

*) Ita *Griesbach.* (synops. Evv. præf. p. IX): "valde dubito, an ex Evangelistarum libellis harmonica componi possit narratio, veritati quoad chronologicam pericoparum dispositionem satis consentanea et firmis fundamentis superstructa. Quid enim? si nullus Evangelistarum ordinem temporis accurate ubique secutus est? et si sufficientia non adsunt indicia, e quibus constare possit, quisnam et quibusnam in locis a chronologico ordine recesserit? Atque in hac me esse hæresi fateor." *Eichhorn*, Einl. ins N. T. I p. 698, 700: "die vielen Versuche der Harmonienschreiber, die sich in ihren Grundsätzen u. der darnach geordneten Stellung der

Digitized by Google

Quare, quum concederent omnes, collationi evangeliorum usus egregios esse ad interpretationem adjuvandam, in *synopsi* aliqua concinnanda viri docti substiterunt, ut ex evangeliis singulis singuli loci argumenti ejusdem sive historici sive dogmatici conjunctim describerentur, missis omnibus de ratione temporis mutuoque nexu definiendo quæstionibus *). Ita

Joh. Jac. Griesbach: Synopsis Evv. Mt. M. et L., unacum iis Joh. pericopis, quæ omnino cum ceterorum evangelistarum narrationibus conferendæ sunt. Halæ Sax. 1809. 8. — Textus græcus adest, sectionibus 150 distinctus, idque sic ut ordo, prouti commodius visum est, nunc ex Mt. nunc ex M. et L. repetatur, transpositionibus nonnullis factis.

Guil. Mart. Leber. de Wette et *Fred. Lücke:* Synopsis Evv. Mt. M. et L. cum parallelis Johannis pericopis. Berol. 1818. 4. — Ratio libri a Griesbachiano eo differt, quod eæ narrationum series, quæ duobus vel tribus evangeliis communes sunt sed ordine

---

einzelnen Ereignisse unaufhörlich widersprechen, können in der Ausführung selbst die Unmöglichkeit, ihre Arbeit zur Befriedigung der Critik zu vollenden, anschaulich machen. — Dennoch hat man schon in frühen Zeiten angefangen, Harmonien der vier Evangelisten zu schmieden. Die ältesten eines Tatian, Ammonius und Eusebius sind der Kritik wegen ihres Einfluss auf den Text merkwürdig; die neuern empfiehlt blosz die gute Absicht ihrer Verfasser."

*) Cf. *Mori* Hermeneut. N. T. ed. Eichstädt II. p. 38, 43: "Nunc prævaluit illa opinio, suum cuilibet Evangelistæ esse ordinem relinquendum — rectius sic agi, ut singula Evangelia per se tanquam totidem opuscula historica spectentur, et res parallelæ inter se invicem conferantur."

Digitized by Google

diverso narratæ, trina vice integræ repetuntur locis parallelis juxta positis, ut evangelium suo quodque ordine continuo legi possit. Distinguuntur autem ex argumento historico sex narrationum partes.

Schemata tabularum synopticarum breviora hi exhibuerunt:

Henr. Planck: Entwurf einer neuen synopt. Zusammenstellung der drei ersten Evv. nach Grundsätzen der höhern Kritik. Gött. 1809 *).

G. Ch. Rd. Matthaei: Synopsis der vier Evv. nebst Kritik ihrer Wundererzähl. Gött. 1826.

G. P. C. Kaiser: über die synopt. Zusammenstellung d. vier kanon. Evangelien. 1828.

F. G. Crome Beytr. zur Erkl. des Neuen Tests. 1r. B. 1828 **).

VI.

At verendum sane videtur, qui harmonias evangeliorum procul abesse jubent ne usum, uti fit, propter abusus negligant, quum a vestigiis patrum eousque recedunt, ut historicam evangeliorum tractationem prorsus desperandam esse censeant.

Certe, quum ea perlustrantur, quæ de vita, de factis et sermonibus Domini nostri memoriæ prodita sunt, nemo facile in singulis iis, quæ dixerit, egerit,

---

*) Auctor doctiss., non tam ad argumenti quam ad formæ consonantiam attentus, probare voluit, evangelium primitivum aliquod (Urevangelium) agnoscendum esse, quod in aliis sectionibus fideliter expressum fuerit, in aliis liberius immutatum, in aliis etiam ex commentariis aliorum adauctum.

**) Libros nominatos trium virorum doctiss. inspicere mihi non contigit.

Digitized by Google

passus fuerit cognoscendis subsistat, quin studium ingens oriri sentiat explorandi, quid de tempore, de ordine et nexu, quo una res alteram exceperit, effici atque constitui possit, ne historia sacra rudis indigestaque moles videatur; imovero quum Jesus sibi aut discipulis passiones prædicit, quum in adversarios verbis invehitur, in multis sine aliqua temporis rerumque externarum notitia ne intelligi quidem potest, cur hoc loco, his hominibus ita neque aliter, et quo sensu cum quanam ad res historicas allusione singula dicta sint. Neque ideo mox, quod hæc omnia ad certum liquidumque perduci nequeunt, defatigari atque ab incepto desistere fas est; id enim ut de multis rebus valet, in quibus ingenia humana strenue cumque successu haud mediocri exercitantur, ita de re nostra non ita valet, ut omnia hîc sine fundamento labantia fluctuent.

Primum enim non solum apud Johannem capita chronologiæ graviora adsunt, itinera quædam Hierosolymam facta, quæ justa crisi adhibita in evangelia reliqua transferri possunt *), sed in his quoque narrationes complures ita conjunctæ sunt, ut syntagma historiæ aliquod habeamus ex illis compositum **). *Deinde* quamvis evangelistis propositum non fuerit, res a Jesu gestas narratione chronologica accurate persequi, in aliis tamen locum et tempus ipsi verbis expressis annotarunt, in aliis, etsi non notarunt, certe cognita habuerunt; indicia, sæpius obiter et parum diligenter injecta, oculum attentum haud latebunt. *Tum* vero accedunt criteria interna ex rebus et sermonibus nar-

*) Vid. p. 14, 15 — p. 53, 54 — p. 92—97.
**) Vid. sect. 49—56 (p. 63, 64).

Digitized by Google

ratis, quibus inter se comparatis nunc certus aliquis ordo præferendus apparet, nunc id saltem efficitur, nihil esse quod ei quem præferimus obstet atque repugnet. Quæ cum ita sint, cel. *Ernestio* facile concedimus, "vix fieri posse, ut harmonia evangelica condatur, *omnibus numeris perfecta*, *conjecturis* interdum utendum esse" (institut. interpr. N. T. p. 1 sect. 2 cap. 6 §. 12), iidem vero negamus, quod *omnia* non effici possint, ideo *nihil* agendum esse, negamus, ubi nexus historicus *demonstrari* nequeat, perinde esse utrum hunc an illum *arripias* nexum et temere arreptum teneas. *Postremo* — ut ex ipso usu faciliore commendatio accedat — tabulæ synopticæ, nisi ad momenta chronologica sive certa sive probabilia disponantur, gravi laborant incommodo; quoniam, si ordinem eundem, quem evangelistæ alii alium habent, exprimere placet (ut in synopsi de Wette-Lückiana), inutilis et molesta oritur eorundem exemplarium repetitio; quodsi vero, ut una qualiscunque series narrationum efficiatur, unum librum alteri præferendum ducis atque normam et regulam reliquis facis, his ipsis male consultum erit, qui sine ulla historiæ utilitate in fragmenta dissolvuntur (ita synopsis Griesbachiana). Neutri vero incommodo recte occurritur, nisi ad principium historicum rem revocare studeas.

Inter theologos seculi nostri duo sunt, ut copia eruditionis ita ingenii acumine insignes, qui de harmonia evangeliorum concinnanda, de historia evangelica explenda adornandaque præclare meriti sunt:

H. E. G. Paulus: philol., kritischer u. historischer Comm. über das N. T. 4 Thle. Lübeck 1804. — Das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Gesch. des

Digitized by Google

Urchristenthums (duo primi operis tomi Heidelbergæ a. 1828 apparuerunt).

J. L. Hug: Einl. in die Schriften des N. Ts. Tübing. 1826. IIr. Th. p. 107—115. 160—168. 233—239.

Quorum studiis viam tutiorem non tam monstratam quam apertam esse, sentiunt et fatentur omnes, qui vestigia interpretum antiquorum lubrica et errantia noscunt.

VII.

De ratione libri mei pauca præfari habeo. Quum ordo, quo narrationes sive in evangeliis singulis sive in omnibus simul sese invicem excipiunt, nondum per se valeat ad successionem temporis constituendam, ut singulæ narrationes loco opportuno restituantur atque inter se conjunctæ seriem historiarum efficiant, regulas has observandas mihi proposui **):

I. *Indicia temporis* hîc illic proposita diligenter crisique adhibita inquirenda sunt:

a. si narratio locum in evangeliis aliis alium habet, indicia certiora et accuratiora (ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ — ἐν

*) His liber addendus est, qui, licet alius consilii et argumenti, multa continet ad harmoniam evangeliorum construendam acute et ingeniose notata: über die Schriften des Lucas, ein krit. Versuch von *F. Schleiermacher*, Berlin. 1817.

**) *Clericus* in calce harm. evang. proposuit in diss. 2da XXI canones harmonicos; verum non tam regulas universales harmoniæ concinnandæ continent, quam observationes specialiores de iis, quæ narrationibus evangeliorum propria et singularia sunt. Digna autem quæ conferantur sunt quæ in *Harm. Chemnit.* disputata in prolegomenis sunt, inpr. in capite 5to: "qua ratione seu methodo investigari et deprehendi possit ordo præcipuarum narrationum in historia Evangeliorum", et ea quæ observavit cl. *Paulus* in Comm. I p. 446—450.

Digitized by Google

ἀντῇ τῇ ἡμέρᾳ — ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ — καὶ ἐνθέως — ἐν τῇ ἑξῆς (ἡμέρᾳ) — πρωΐας, ὀψίας γενομένης κ. τ. λ.) praeferri debent sive nullis sive incertis et ambiguis (τότε — ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις — ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν — ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ — ἐν τῷ καθεξῆς — καὶ μετὰ ταῦτα — καὶ πάλιν — ἀπὸ τότε, κ. τ. λ.), ut tempus et ordo ex illis constituatur.

Exempla vid. sect. 25 p. 24 — sect. 29 p. 30 — sect. 34 p. 44 — sect. 49 p. 63 — sect. 50 p. 67 s. — sect. 64 p. 82.

b. si indicia temporis distincta in evangeliis singulis adsunt, quae repugnantia sibi conciliari nequeant, hoc praeferri reliquis debet, quod cum accuratiore rei narratione commendatur tum rationibus internis etiam verisimilius est.

Exempla vid. sect. 17 p. 16 — sect. 26 p. 25 s. — sect 104 p. 123 s. — sect. 105 p. 126 — sect. 121 p. 148 — sect. 130 p. 158 s.

II. Ubi temporis indicia desunt, *indoles et forma narrationum* attente inspicienda est, ut argumenta temporis probabilia efficiantur:

a. si narrationi locus incertus aut in evangeliis singulis etiam diversus est, ille praeferri debet, qui nexum realem habet cum iis quae praecedunt facilem et commodum, sive quod scena eadem, homines iidem esse videntur, sive quod inter ipsa verba sunt, quae ad res supra narratas respiciant.

Exempla vid. sect. 9 p. 8 — sect. 21 p. 20 — sect. 23 p. 23 — sect. 37 p. 46 s. — sect. 38 p. 51 — sect. 43 p. 57 — sect. 47 p. 60 s. — sect. 53 p. 72 s. — sect. 58 p. 76 — sect. 61 p. 79 s. — sect. 67 p. 87 — sect. 70 p. 91 — sect. 73 p. 99 — sect. 74 p. 100 — sect. 75 p. 101 — sect. 89 p. 108 s. — sect. 93 p. 114 — sect. 124 p. 151 s.

b. si, quae in evangelio uno conjuncta uno loco leguntur, in altero disjuncta et locis variis dispersa

Digitized by Google

sunt, ita ut in singulis locis occasiones historicæ, res privatæ seu minutiores notatæ sint, in ordine hoc utpote accuratiore et specialiore subsistendum est, quippe credendum, alterum evangelistam non temporis sed argumenti ratione habita hæc in unum conjunxisse.

Exempla vid. sect. 32 p. 35 — sect. 33 p. 39 — sect. 39 p. 53 — sect. 51 p. 68 s. — sect. 52 p. 71 — sect. 91 p. 111 — sect. 106 p. 128 — sect. 115 p. 127 — sect. 117 p. 140.

c. si narrationes similes in locis diversis evangeliorum adsunt, ut dubitari possit, num distinguendæ sint an una existimandæ, exploratione critica momenta narrationum graviora a levioribus distingui debent, ut ex illis sive identitas sive diversitas efficiatur.

Exempla vid. sect. 17 p. 16 — sect. 22 p. 21 — sect. 23 p. 22 — sect. 103 p. 122 — sect. 110 p. 131 s. — sect. 143 p. 178.

d. in narrationibus, quæ in uno tantum evangelio reperiuntur, in ordine nobis tradito quamquam incerto subsistere oportet, nisi rationes distinctæ mutationem suadeant vel jubeant.

Exempla vid. sect. 31 p. 34 — sect. 55 p. 74 s. — sect. 87.

VIII.

Ita vero dum rebus historicis curas præcipuas impendi, aliis quoque usibus pro virili consulere volui.

Primum, comparatione perpetua instituta, quicquid sive in rebus narratis sive in nexu, ordine, forma narrationum evangeliis omnibus commune, quicquid singulis proprium sit, sedulo annotavi, exemplis tum historicis tum linguisticis adscriptis; idque non solum ut constet, quasi ante oculos proposita, indoles narrationum diversa, sive manca, brevior, simplicior, sive plenior, accuratior, exornatior, sed — quod gravissimum est — ut ex hac ipsa diversitate luculenter per-

Digitized by Google

spectâ relatio, quæ evangelio uni cum altero intercedat, probabilis efficiatur. Id certe per collationem criticam extra dubitationem positum esse videtur, evangelia Matth. et Lucæ fontes Marco præcipuos fuisse, ut ex utroque, licet neque sine liberiore judicii usu, neque subsidiis aliis prorsus neglectis, commentarios suos confecerit *).

Deinde, quamvis interpretatio textûs ab instituti mei ratione aliena esset, id tamen meum esse intellexi cum in iis locis, qui nexum et consensum evangeliorum indicant, tum in iis, qui eum sive obscuritate verborum sive rerum diversitate impedire videntur, ut de sensu verborum deque ratione quæ commodissima videbatur nodos solvendi breviter disputarem.

Ita dum partes meas agebam, nihil quod non operæ pretium esset me facere speravi, inprimis quum experientia edoctus scirem, tantæ observationum specialiorum subtilitati non facile in lectionibus publicis locum esse, neque vero iis sine hac subtilitate usum criticum et historicum constare posse.

Denique si qui inter reliqua litterarum studia vel inter vitæ ecclesiæque officia ex voluminibus sacris historiam evangelicam et mutuam evangeliorum singulorum rationem uno quasi conspectu cognoscere cupiant, eorum quoque usibus in votis quam maxime fuit succurere; quibus num hoc qualicunque opusculo succurrerim, esto et erit penes ipsos judicium.

*) De hac re subtiliter et copiose disputarunt *Griesbach.* in opusc. acad. II p. 358—425. *Paulus* theol. exeget. Conservator. I p. 73—85. *Saunier* über d. Quellen d. Marcus. 1825. *Theile*: über das Wechselverhältniss d. synopt. Evangelien (n. krit. Journ. v. Winer u. Engelhard 5r. u. 6r. B.).

Digitized by Google

Pars Prima.

De Natalibus Et Infantia Jesu Christi Deque Munere Ejus Solenni Modo Præparato.

I.

Luc. 1, 5—25.

Natales Johannis Baptistæ prænuntiantur.

II.

Matth. 1, 18—24. Luc. 1, 26—38.

Natales Jesu Christi prænuntiantur.

Commentarii unus alteri *supplementa* commodissime afferunt. *Mt.* in *conceptione* narranda simpliciter in facto historico subsistit, quod coloribus pulcherrimis *L.* exornavit, accuratior quoque in tempore mensis sexti, nomine provinciæ et oppidi atque nexu historiæ Chr. et Joh. B. indicando. Sed de *Josepho* nihil habet, supplendus igitur ex *Mt.*, qui angelophaniam proposuit, ex qua constaret, nullam fuisse Josepho in generatione Messiæ partem. *Momentum religiosum* vero (ὁ Ἰ. γεννηθεὶς ὐκ ἐξ ἀνθρώπων ἀλλ' ἐκ τοῦ Πν. ἁγ.) evangelistæ utrique commune est: *Mt.* vs. 20. *L.* vs. 35.

Digitized by Google

Not. diversitatem aliquam in nomine Jesu et munere Messiano definiendo (*Mt.* vs. 21: *σώσει ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν*. *L.* vs. 32. 33: *μέγας ἔσι κ. βασιλεύσει*) — atque usum apologeticum loci Esaiani apud *Mt.* vs. 22. 23.

III.

Luc. 1, 39—56.

Maria Elisabetham visum accedit.

Formula *ἐν τ. ἡμέραις ταύταις* h. l. accuratius explicanda est, o: mense fere sexto post conceptionem Joh. B. (vs. 26), quia tres menses postea accedunt ante nativitatem Joh. elabentes.

Notiones de Messia politico (vs. 32. 33) in oratione Mariæ repetuntur: vs. 51—55.

IV.

Luc. 1, 57—80.

Johannes Baptista nascitur.

Exspectationem eandem Messiæ, regis potentissimi, Judæos ab injuriis hostium vindicaturi, expressam vide in auguriis Zachariæ, vs. 68—74, nequaquam tamen notionibus purioribus exclusis de Messia veræ cognitionis, pietatis et pacis cum Deo restituendæ auctore, vs. 75—79.

V.

Matth. 1, 25. Luc. 2, 1—7.

Jesus Christus nascitur.

Mt. brevissime quidem eventum narravit, peristasesi historicis omissis; infra tamen alio loco (2, 1) in ipso narrationis cursu Bethlehem patria Jesu dicitur.

Digitized by Google

Not. in utroque evang. verba τὸν υἱὸν ἀντῆς πρωτότοκον.

VI.

Luc. 2, 8—21.

Natales Christi pastoribus nuntiantur. Christus circumciditur.

VII.

Matth. 1, 1—17. Luc. 3, 23—38.

Genealogia Jesu Christi.

Forma externa stemmatum utriusque evangelii diversa est:

ordo apud Mt. progressivus, apud L. retrogradus *),

ambitus diversus: Mt. in Abrahamo subsistit, L. ad Adamum usque redit, eumque ipsa quasi manu Dei creatum.

Rationem internam quod attinet, *communia* utrique nomina ab Abrahamo inde usque ad Davidem sunt, ex reliquis vero omnibus quæ sequuntur duo tantummodo: Serubabel et Salathiel. Ceterum et numero nominum et ipsis nominibus prorsus *dissentiunt: Mt.* inter Davidem et Jesum nomina XXVI posuit, *L.* XLI; *Mt.* ex Davide genus per Salomonem deduxit, *L.* per Nathanem **); *Mt.* patrem Josephi Jacobum habet, *L.* Eli.

---

*) Augustinum constat ex hac ordinis diversitate ludendi occasionem sumsisse: Mt. in genealogia Chr. describenda *descendere* ab Abr., ut appareat, Chr. descendisse ad vitam nostram regendam peccataque nostra suscipienda, L. vero *adscendere*, ut moneat, eum sacerdotis instar Deo pro nobis offerre preces, atque nos ad Deum reducere (de cons. Ev. I. 6. 9.).

**) Miro modo Augustinus deceptus Nathanem f. Davidis prophetam vocavit (l. l.).

Digitized by Google

In nodo difficillimo solvendo jam patres ecclesiæ multum desudarunt, quorum vestigia interpretes recentiores secuti sunt. Duplex autem solvendi ratio et via tentata est:

Una, quæ negat utramque genealogiam ad Josephum referendam esse: unum quippe, (ex plerorumque sententia Lucam) *genealogiam Mariæ* nobis exhibere, neque igitur, ut Mt., formula usum esse *Ιακώβ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ*, sed cum ambiguitate aliqua scripsisse: *Ἰωσ. υἱὸς* (ə: *γαμβρὸς*) *τ. Ἡλὶ*; maluisse vero eum Mariæ quam Josephi genealogiam exhibere, quo melius constaret contra hominum opinionem ("*ὡς ἐνομίζετο*"), Jesum Josephi filium non esse.

Hypothesin hanc *Augustinus* jam (Quæst. ev. II. 5) multis probatam fuisse tradit, defenderunt inter recentiores *Osiander*, *Chemnit.*, *Rus.*, *Bengel.*, *Büsching.*, *Lightfoot.* in harmoniis evv., *Wetstein*, *Rosenmüller*, *Kuinoel.*, *Gratz.* in libris exegeticis, inprimis vero cl. *Paulus* (Comm. I. pag. 242—46. d. Leben Jesu I. pag. 124—26). Sed obstat inconstantia exegetica in voce *υἱὸς* hoc uno loco de *genero* interpretanda, quum in reliquis singulis tabulæ genealogicæ membris non nisi sensu proprio explicari possit, et magis etiam nomina obstant, quæ in stemmate utroque adsunt, Salathielis et filii Serubabelis; nam viros eosdem utroque loco indicatos esse, celeberrimum Judæorum in patriam redeuntium ducem ejusque patrem, nullo modo dubitare licet, quum pater Serubabelis idem feratur apud Esr. 3, 2. et Hagg. 1, 1; præterea in temporis ratione consensus est: Mt. tempus ab exilio proximum indicavit (vs. 12), L. vero, exilii nulla mentione facta, locum ei adsignavit inter Davidem et Jesum medium, nominibus XXI utrinque numeratis; qui quidem cum

Digitized by Google

tempore exilii optime convenit. Atvero pater Salathielis dicitur apud Mt. Iechonjah, apud L. Neri; quare, nisi ad hypothesin eandem iterum confugere velis, Mt. patrem Salathielis, L. vero socerum indicasse, difficultas eadem manet.

Altera ratio est, quæ utramque genealogiam quidem ad Josephum pertinere statuit, sed modo diverso, unam immediate, alteram per ambages:

1. Mt. patrem cum Josephi tum Salathielis germanum indicasse verbo *ἐγέννησε*, L. vero viri utriusque propinquum; qui ex *jure levirātûs* (Deut. 25, 5) in locum patris subierit, ita ut jure et *ratione sangvinis* (*κατὰ φύσιν*) unius, *ratione civili* (*κατὰ νόμον*) alterius filii vocati fuerint; imo, eodem modo explicandum esse, quod Serubabel apud Esr. et Hagg. filius Salathielis dicitur, 1 Chr. 3, 19. vero fil. Phedajæ.

Ita inter patres antiquos *Julius Africanus* (Euseb. H. E. I. 7), *Hieronymus* (comm. in Mt. h. l.) *Ambrosius* (comm. in L. h. l.), inter interpretes recentiores *Calixtus*, *Clericus* in harm. evv., *Grotius*, *Schleiermacher.* (über d. Schr. d. Luc. p. 53), inprimis vero *Hug.* (Einl. ins N. T. II. p. 266—72). Verum contra hypothesin, ingeniosam certe sed implicitam, valet utique, quod Augustinus objecit: "quum quisquam apud Judæos, defuncto fratre vel propinquo, prolem de uxore ejus exsuscitet, illud quod nascatur nomen defuncti accipere solere", imo lege jubente debere (Deut. 25, 16: וְקָרָא עַל־שֵׁם אָחִיו הַמֵּת) ut nomen ex patre physico habere non possit. — Ipse igitur Augustinus

2. ex *consuetudine adoptandi* (cujus inter Judæos exempla afferuntur Ismael, filii Bilhæ et Zilpæ, filii Josephi, Moses) discrepantiam stemmatum — simplicius et facilius ut videtur — explicare maluit (de cons.

Digitized by Google

Ev. II. 5. Quæst. Ev. II. 5. Ser. 51 n. 27. contr. Faust. III. 3). Postea tamen, libro Julii Afr. lecto, ipse ad sententiam illam transiit (Retract. II. 7), credo quia videbat, exempla quæ attulerat adoptionis alius generis esse, neque constare, pueros apud Hebræos hac ratione unquam adoptatos fuisse, ut patrem naturalem cum civili permutarent, vel nomen ex utroque haberent.

Utut vero res se habet — nondum enim concordiam efficere contigit, neque unquam puto continget *), — observandus est evangeliorum consensus in eo, quod momentum habet ad notionem Messiæ historicam constituendam: *Jesum ex stirpe Davidis oriundum esse* (*υἱὸν Δαβὶδ*) **). Membrorum singulorum autem diversitas ex traditionum diversitate sine dubio repetenda est, quas relatas sibi auctores ss. referebant. Confirmatur hoc etiam arte in genealogiis construendis, inter Judæos mire adamata, cujus exemplum apud Mt. insigne habemus, totam dico majorum seriem in *tres classes æquales* divisam, ex stirpibus quatuordenis compositas; quæ quomodo numeranda sint, docet vs. 17: Davidem et ad primam et ad

*) Cf. *Eichhorn.* Einl. ins N. T. I. pag. 462—65. *Fritzsche* Comm. in Evv. I. p. 35.

**) Cf. *Chemnit.* Harm. Ev. p. 54: "Meminerimus, certam regulam a Paulo (1 Tim. 1, 4. Tit. 3, 9) traditam, genealogias ita tractandas, ut non serantur quæstiones nunquam finiendæ et contentiones, quæ inutiles et supervacaneæ sunt, sed ut servire possint ædificationi ecclesiæ in fide. — Causa autem et finis descriptæ hujus genealogiæ fuit, ut præter cetera testimonia etiam inde certius constaret, Jesum esse verum Messiam, qui conceptione et nativitate sua ex illa stirpe, quam oracula prophetica antea ad hoc designarant, originem suam secundum carnem duxerit."

Digitized by Google

secundam stirpem pertinere, quæ in exilio babyl. finiatur, ita ut Jechonjah nonnisi ad classem tertiam referendus, ipse vero Chr. in eadem numerandus sit.

VIII.

Luc. 2, 22—38.

Christus Deo in templo offertur. Simeonis et Annæ de eo auguria.

Not. in verbis Simeonis notiones purissimas et vere christianas de Messia gentium cunctarum doctore, salvatore, judice, vitam vero hominum impietate et contumacia vexatissimam transacturo.

IX.

Matth. 2, 1—12.

Magi ex Oriente Christum adorant.

Difficultas chronologica adest: apud *Mt.* narratio de oblatione in templo desideratur: parentes Jesu Bethlehemi commorantes magos excipiunt, inde in Ægyptum aufugiunt, tum vero in Galilæam redeunt, nulla itineris Hierosolymitani mentione facta; — *L.* de adventu magorum et de fuga in Ægyptum nihil habet, sed parentes, ut filium in templo offerant, Hierosolymam adire, et inde mox in Galilæam redire facit.

Filum historicum igitur quomodo efficiendum?

Oblationem in templo *inter* adorationem magorum et fugam in Ægyptum interpretes multi posuerunt: *Augustin.* (de cons. Evv. II. 17), *Calvin. Chemnit. Cleric.* in harm. evv., *Grot. Wolf.* in cur. philol. ad. h. l., *Storr* diss. in ll. N. T. hist. II. p. 1 ss. al. *), sed in-

*) In ecclesia antiqua hunc temporis ordinem ceu verum receptum fuisse, constat ex calendario sacro, quod d. 13

Digitized by Google

commode certe; neque enim credibile est, magos, qui insidias Herodis suspicarentur, non periculum indicasse parentibus, neque vero hos admonitos filium in urbem tyranni crudelissimi, agnum in ungues lupi adduxisse; accedit edictum Herodis de pueris bimulis trucidandis (Mt. 2, 16), quod docet, temporis spatium non adeo saltem exiguum post partum Mariæ intercessisse. Multo minus vero *post* reditum ex Ægypto oblationem differre licet (ita *Hauber.* et *Büsching.* in harm. evv.), obstante die post partum XLmo apud L. indicato (2, 22), atque narratione Mt. de provincia Judææ a parentibus ex Ægypto reversis anxie vitata (2, 22).

Sic ergo oblatio, ut videtur, *ante* adventum magorum ponenda erit (ita *Osiander*, *Rus.*, *Bengel.*, *Lightfoot.*, *Michaelis* (Einl. ins N. T.), *Paulus* (Comm. ad. h. l. d. Leben J. I. pag. 105 s.), *Kuinoel.*, *Hug.* (Einl. II. p. 273 s.), ut verba Lucæ 2, 39: ὑπέστρεψαν εἰς τ. Γαλιλ. ratione temporis minus accurate scripta neque explicatione urgenda sint*). Etenim ordo rerum hic efficitur: parentes, sacris in templo rite peractis, Hierosolymâ rediisse Bethlehemum ibique magos excepisse**);

---

post Jesum natum (d. 6 Jan.) festum Epiphaniæ constituit.

*) Eo minus ita urgenda sunt, ut successionem temporum immediate constituant, quum satis aperte clausulam continere videantur narrationis ad finem properantis; iis vero, qui ita statuunt (*Schleiermacher.* d. Schr. d. L. p. 43. 45 f. *Eichhorn.* Einl. I. p. 471 f., *Fritzsche* Comm. ad h. l.), de nexu narrationis continuo prorsus desperandum est.

**) Quod vero Bethlehemum redierint neque Nazaretham, haud adeo mirandum est, quum ex Mt. (2, 22) constare videatur, parentibus, etiam ex Ægypto redeuntibus, pri-

Digitized by Google

ab iis admonitos in Ægyptum aufugisse, et inde reversos tandem in Galilæa sedes fixisse.

X.

Matth. 2, 13—23. Luc. 2, 39. 40.

Parentes in Ægyptum cum Christo aufugiunt. Infantes Bethlehemi trucidantur. Parentes cum Christo Nazaretham redeunt.

Not. oracula et angelophanias apud Mt. per somnia induci (1, 20. 2, 12. 13. 19. 22), apud L. oculis ipsis admoveri (1, 11. 26. 2, 9).

XI.

Luc. 2, 41—52.

Christus duodecim annos natus in templo.

Not. vs. 52 solennem aliquam claudendi formulam similem iis, quibus aliæ commentariorum Lucæ sectiones in capitibus primis finiuntur: 1, 80. 2, 20. 40.

XII.

Matth. 3, 1—12. Marc. 1, 1—8. Luc. 3, 1—18. Joh. 1, 15—31.

Johannes in deserto docet atque baptizat.

Apud *Mt.* historia Bapt. cum narratione de reditu Jesu ex Ægypto, licet multis annis interjectis, conjungitur formulâ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις; *L.* vero more historicorum initium facit a tempore accuratius definiendo.

In rebus historicis alia *L.* propria sunt: quæ singulis hominum ordinibus a Baptista dicta sunt (vs.

---

mum propositum fuisse in urbe Davidis patria sedes figere.

Digitized by Google

11—15), locus Esaianus plenius exscriptus (vs. 5. 6); alia apud *Mt.* accuratius proposita sunt: de victu cultuque Baptistæ, vs. 4 (quæ apud L. desunt) — de diversis auditorum generibus, vs. 5—6 (L. simpliciter *τοῖς ὄχλοις*) — brevis præconii summa, vs. 2: *μεταν. ἤγγ. γὰρ ἡ βασ. τ. οὐρ.* (quam L. suis verbis indicavit vs. 3: *κηρύσσων βαπτ. μεταν. εἰς ἄφ. ἁμαρτ.*). In ipsis sermonibus Baptistæ nulla fere, ne particularum quidem vel constructionis verborum, discrepantia; excepto tamen usu imaginis ejusdem diverso: Mt. vs. 11: *τὰ ὑποδήματα βαστάσαι*, L. vs. 16: *λῦσαι τ. ἱμάντα τ. ὑποδ.*

M. rem paucis absolvit, ex verbis Baptistæ iis tantummodo descriptis, quæ ad Messiam celebrandum proxime spectabant; in his vero L. maxime sequitur (vs. 4. 7), quo tacente ad Mt. accedit (vs. 5. 6), liberius tamen et opera ut videtur data, ut nonnulla in formam elegantiorem mutarentur: *alia*, ut series verborum *facilius* flueret (vs. 5: *ἦν ἐνδεδυμένος . . κ. ἐσθίων*, quod ap. Mt. durius: *εἶχε τ. ἔνδυμα . . ἡ δὲ τροφὴ ἀντοῦ ἦν* — vs. 8: transponuntur verba *ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα*, ut antithesis: *ἀντὸς δὲ βαπτίσει* magis appareat — eod. l. omittuntur *καὶ πυρί*, ne parallelismus membr. (*ἐν ὕδατι . . ἐν πνεύμ. ἁγ.*) turbetur); *alia* verbis *accuratius* expressa sunt (vs. 6: *οἱ Ἱεροσολυμῖται* (Mt. *Ἱεροσόλυμα*) — ad *Ἰουδαία* add. *χώρα*, ad *Ἰορδάνῃ* add. *ποταμῷ* — verba Mt. *καὶ ἡ περιχ. τ. Ἰορδ.*, propter ea quæ præcedunt *πᾶσα ἡ Ἰουδ.* superflua, omittuntur — vs. 8: *ἐβάπτισα* (Mt. et L. *βαπτίζω*); *alia*, ut res narrata *vividius* admoveretur oculis (vs. 7 add. *κύψας*).

Not. negligentiam in verbis prophetæ excitandis (vs. 2. 3), omisso nomine Malachiæ, ut locus uterque ad Esaiam referri videatur.

Digitized by Google

Locus *Joh.* ex fragmentis diversis compositus est; nam præter ea, quæ Joh. occasione data ex ingenio suo interposuit (vs. 16—18), ea Baptistæ verba, quibus Jesum digito quasi designat (vs. 15, 29—31), temporis serioris sunt, quo in iisdem deserti regionibus simul versati sunt, sive ante sive post baptismum; ad hæc autem ex tempore priore, ne testimonia deessent antiquiora, alia quædam accessere, vs. 19—28 *). Verum in his etiam, si a loco Esaiano et imagine corrigiæ calceorum discesseris, nihil Joh. cum evangg. rel. commune est; imovero, quum studio magis dogmatico historiam Baptistæ tractaret, neque disciplinam vitæ describere neque ea afferre, quæ contra mores Judæorum corruptos dicta sunt, suum esse duxit, sed in testimonii gravitate substitit, quæ Baptista in occasione, qua solennior nulla, honorem sibi a legatis Judæorum delatum in Messiam modeste transire jussit.

Not. formulam transeundi τῇ ἐπαύριον, Joh. frequentiorem, h. l. ut sæpius ambitu latiore sine dubio intelligendam.

XIII.

Matth. 3, 13—17. Marc. 1, 9—11. Luc. 3, 21. 22.
Cf. Joh. 1, 32—34.

Christus a Johanne baptizatur.

Singulis singula propria sunt: *Mt.* objectio Johannis a Jesu confutata, *M.* nomen Nazarethæ accuratius positum, *L.* nexus cum iis quæ præcessere commodior; *J.* vero, qui eventum baptismi non præsentem

*) Verba eadem vs. 15 et 27 repetita, ita differunt, ut hæc de Messia futuro, illa de Jesu præsente dicta sint; id quod indicant ipsa verba vs. 15: οὗτος ἦν ὃν εἶπον.

Digitized by Google

descripsit, sed factum nonnisi obiter commemoravit, vim et usum religiosum egregie indicavit: *τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ἔμεινεν ἐπ' αὐτὸν.*

Structuram verborum, apud *Mt.* tum hebraismis impeditam (*καὶ ἰδοὺ .. καὶ ἰδοὺ*) tum anomaliâ grammaticâ, *M.* et *L. emendarunt*, felicius tamen M., qui ad leges syntaxeos græcæ stylum hellenisticum revocavit, in hoc quoque laudandus, quod vocem *ἐνθὺς* non tam ad emersionem ex aqua (sic Mt.), quam ad coelos apertos accuratius retulit.

L. Spiritum s. graphice quasi depinxit, addito *σωματικῷ εἴδει*, verba angeli vero, a Mt. personâ tertiâ expressa, in secundam mutavit; in quo *M.* eum secutus est, quum in aliis (vs. 10) ad Mt. propius accedit.

XIV.

Matth. 4, 1—11. Marc. 1, 12. 13. Luc. 4, 1—13.

Christus in deserto tentatur.

Membra tentationis secundum et tertium apud *Mt.* et *L. ordine inverso* exhibita sunt: ille rationem *internam* secutus videtur, ut in emphasi dialogi per gradus singulos crescente tentator tandem fulmine verborum percuteretur (vs. 10), hic rationem *externam*, ut mutationes scenæ commodius una alteri succederent: desertum - mons - urbs.

Narratio apud *L.* aptissime cum sectione præcedente nectitur, in hoc etiam facilius fluens, quod *πειραζόμενος* non ut *πειρασθῆναι* (apud Mt.) consilium indicat; discedit præterea in iis a Mt. et M., quæ videri possent liberam in Jesu efficaciam tollere: vs. 1: *ἤγετο ἐν τ. πνεύματι* (Mt. *ἀνήχθη ὑπὸ τ. πν.* M. *τ. πν. αὐτὸν ἐκβάλλει*) — vs. 5. 9: *ἀναγαγών, ἤγαγεν* (Mt. *παραλαμ-*

Digitized by Google

βάνει); alia vero, ut narratio vividior fieret, addita sunt (vs. 2. 5. 6).

In *locis V. T.* excitatis *Mt.* et *L.* conspirant, etiam ubi textus a LXX recedit (Deut. 6, 13: προσκυνήσεις. LXX: φοβηθήσῃ), nisi quod Deut. 8, 3 brevius, Ps. 91, 11 autem paulo plenius apud L. descriptus est.

M. quid evenerit non quomodo, brevissime more annalium annotavit; verba postrema vero Evangelium Mt. fontem narrationis indicare videntur. Vs. 13 (ἦν μετὰ τῶν θηρίων) num forte explicationem continet ejus, quod apud Mt. et L. dicitur de jejunio Jesu per dies XL continuato: "victu non hominum sed animalium vitam sustentabat"?

Digitized by Google

Pars Secunda.

De Rebus A Jesu Christo In Galilæa Et Judæa Gestis.

A.

Ante primum iter ad festum paschale Hierosolymam factum usque ad festum Judæorum (Purim).

(ɔ: fere annus integer).

Observationes chronologicæ.

1. Narrationes, quæ in tribus evangeliis prioribus historiam tentationis excipiunt, indicant *red itum* aliquem Jesu *in Galilæam* (Mt. 4, 12: *ἀνεχώρησιν εἰς τ. Γαλ.* M. 1, 14: *ἦλθεν εἰς τ. Γαλ.* L. 4, 14: *ὑπέστρεψεν εἰς τ. Γαλ.*), eumque in Mt. et M. saltem eundem, quia sequitur mox in utroque narratio de primis apostolis electis. Sed nexus inter sectionem hanc eamque quæ præcedit nullus omnino in evangeliis indicatur; unde oritur dubitatio, num serie continua an lacunâ interrupta narratio h. l. decurrat.

2. Hac de re collatio cum *Evang. Joh.* instituta nos certiores facit. Etenim *Mt.* 4, 12. et *M.* 1, 14 tradunt, Jesum accepto nuntio *de captivitate Baptistæ* in Galilæam se recepisse; ex *Joh.* 3, 24 autem constat, tempore quo Jesus relicta Hierosolyma in Judæa commoratus fuerit, *nondum* Baptistam *custodiæ traditum fuisse*; unde sequitur, quæ apud *Joh.* 1, 35—3, 24 tradita sunt (Jesum primos discipulos in Judæa vocasse,

Digitized by Google

in Galilæam rediisse, nuptiis Canensibus adfuisse, Hierosolymam festo paschali adiisse, mercatores ex atrio templi ejecisse, cum Nicodemo collocutum esse) ratione temporis *ante Mt.* 4, 12 et *M.* 1, 14 ponenda esse, ut lacuna in evangeliis prioribus amplissima his interpositis expleatur.

3. Neque id solum, verum etiam quæ *apud Joh. sequuntur* 3, 24—4, 42 de itinere Jesu ex Judæa per Samariam facto, partem itinerarii ejusdem constituunt, ita ut Joh. per narrationem continuam tandem in 4, 43 (*ἀπῆλθεν εἰς τ. Γαλιλ.*) ad idem temporis momentum nos perducat, ex quo evangelistæ reliqui narrandi initium faciunt.

XV.

Joh. 1, 35—52.

Christus quatuor discipulos in Judæa vocat.

Not. formulam *τῇ ἐπαύριον* bis repetitam, vs. 35. 44.

XVI.

Joh. 2, 1—11.

In nuptiis Canensibus primum miraculum Christi.

Tempus accurate definitum: *τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ*, numerandum sine dubio a die, quo reditus in Galilæam inceptus est: vs. 44: *ἠθέλησεν ἐξελθεῖν εἰς τ. Γαλ.*

XVII.

Joh. 2, 12—22. Matth. 21, 12—16. Marc. 11, 15—18. Luc. 19, 45—48.

Christus, Hierosolymam ad festum paschale profectus, tabernarios et nummularios ex templo ejicit.

Diversitatem rei apud Joh. et apud Evangelistas priores narratæ, adeoque fidem eorum in tempore di-

Digitized by Google

stinguendo defenderunt interpretes longe plerique, antiquiores (*Calvin. Chemnit. Grot. Lightf.*) et recentiores (*Michael. Büsching. Tittm. Kuin. Paul. Hug. Tholuck*), neque per se sane improbabile est, actionem symbolicam, a qua munus sanctissimum Dominus auspicatus fuerit, altera vice extremis vitæ diebus repetitam esse, ut ex tantæ religionis exemplo omnibus constaret, ipsum vitam officiis sacris totam impendisse. Sed tantus est in rebus narratis et in ipso narrationis modo consensus omnium, ut unice fere ratione temporis inter se differant; hanc vero, vehementer urgere, vide quæso quam hoc potissimum loco incertum et lubricum sit. *Primum* enim evangelistæ priores ut ea omnia, quæ a Jesu Hierosolymæ gesta sunt, brevissime absolvunt, neque unquam festum paschale ante passionem Christi commemorant, ita itineris primi Hierosolymitani vestigium ne minimum quidem exhibent; neque mirum igitur, si, quod in itinere hocce evenerit, ad illud festum paschale retulerint, quod ex omnibus solum suam apud eos descriptionem habet. *Deinde* ex dissensu Mt. et M. suspicio oritur, veras temporis rationes turbatas esse, quum apud Mt. (21, 10. 12) Jesus eodem die quo urbem solenni modo intravit, apud M. (11, 11. 12. 15) postridie, in urbem reversus, nundinatores ex templo ejecisse dicitur *). *Denique* mirari profecto subit, Jesum, si actio eadem eodem modo et consilio in loco eodem bis repetitus

*) Commodissime igitur, sed commodius profecto quam acutius, harmonistæ complures, harmoniæ confiçiendæ ultra modum cupidi, *expulsionem triplicem* finxerunt: *Osiander*, *Rus*, *Bengel*, *Storr.* (üb. d. Zw. d. ev. Gesch. pag. 276) al.

Digitized by Google

fuerit, discipulis hominibusque qui aderant non in memoriam revocasse exemplum severitatis propheticæ jam antea publice editum. (Ita nobiscum *Camerarius*, *Ziegler*, *Lücke* al.).

Narratio *Lucæ* brevior est; *Mt.* et *M.* plerumque in verbis etiam conveniunt, nisi quod locus Esaianus apud M. plenius describitur (add. πᾶσι τοῖς ἔθνεσι); accedit quoque vs. 16 de severitate Domini in tumultu negotiatorum cohibendo. Narratio *Joh.* accuratior et vividior est, pluribus adjectis: βόας κ. πρόβατα — ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων — ἐξέχεε τὸ κέρμα; inprimis vero eo quod severitatem et lenitatem Jesu accurate distinguit, ut animalia loris fugaverit, mensas nummulariorum manibus everterit, eos autem qui columbas venales habebant exire jusserit.

Not. rem eandem a parte diversa spectatam: *M.* vs. 18: per admirationem populi bilem et insidiandi studium mota esse Pharisæis, *L.* vs. 48: per eandem impetus Pharisæorum ad tempus cohibitos esse.

XVIII.

Joh. 2, 23—3, 21.

Nicodemus discendi cupidus noctu ad Christum accedit.

Tempus: "ὡς ἦν ἐν Ἱεροσολ. ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ", vs. 23.

XIX.

Joh. 3, 22—36.

Christus in Judæam digressus testimonio Johannis Bapt. celebratur.

Quantum temporis Dominus in Judæa versatus fuerit, non quidem verbis disertis declaratur; sed quum

Digitized by Google

verba ἐκεῖ διέτριβε μετ' αὐτῶν (vs. 22) majus temporis spatium admittunt, tum vero propter nexum eorum quæ deinceps narrantur statuendum est, *plures adeo menses* ante in finibus Judææ transactos esse, quam in Galilæam redierit.

XX.

Joh. 4, 1—43.

Christus per Samariam profectus cumque muliere collocutus fidem inter Samaritanos sibi conciliat.

Momentum chronologicum, ex quo ratio temporis constituenda sit, videtur ex vs. 35 repetendum, cujus facillima certe et simplicissima explicatio hæc erit: "*tempore hocce* nonne conceditis, agricolæ, ut laboris fructum habeat, *per quatuor adhuc menses ad messem usque exspectandum esse?* ecce vero, quanto lætiorem sortem vobis proponam; nam in regno Messiano omnia jam ad messem parata et matura sunt, quid! quod seminandi labor et fructus metendi temporis ejusdem sunt" *). Ita vero, quum in Palæstina duo menses

*) Ita fere *Rus.*, *Bengel.*, *Paulus*, *Kuinoel.*, *Lücke.*, *Hug.* al. Negant tamen *alii*, de tempore quidquam ex verbis illis definiri posse, *sensum proverbialem* in universum propositum existimantes: "plenum solatii est rebusque vestris etiam quadrat, quod vulgo dicunt, *messem a seminatione quatuor tantummodo menses distare*" (ita *Grot.*, *Rosenmüller.*, *Tittm.*, *Tholuck.* al.). *Neque* vero verba illa proverbii formam et speciem referunt, quum aculeus vel punctum saliens frustra sane quæratur, *neque* veritatem omnino dicerent, nam fruges aliæ prius aliæ serius committuntur terræ, aliæ, ut maturescant, infra, aliæ ultra menses quatuor commissæ manent. *Denique* si lectio ἔτι — quod plerisque videtur — genuina est, non sensus proverbialis sed historicus admittendus est, tempori ipsi quo loquebantur adstrictus.

Digitized by Google

a medio Nisan (Aprili) usque ad medium Sivan (Jun.) messe occupentur, efficitur *tempus hybernum Decembris fere* (Cisleu) *vel Januarii* (Tebet), quo Jesus terram Samaritanorum transierit.

Not. diligentiam eandem cum in causa indicanda, cur Jesus ex Judæa discesserit (vs. 1), tum in tempore definiendo, quo inter Samaritanos commoratus fuerit (vs. 40. 43: δύο ἡμέρας).

XXI.

Joh. 4, 43—54. Cf. Matth. 4, 12. Marc. 1, 14. Luc. 4, 14. 15.

Christus in Galilæam reversus filium ministri regii a febre liberat.

De reditu Christi ex Judæa in Galilæam communis omnium consensus est (vid. supr. p. 14). Sed quum apud *L.* eventus in synagoga Nazarethana succedit (4, 16—30), apud *J.* sanatio Canæ peracta, de qua h. l. agimus, neutra vero narratio apud reliquos exstat, quæritur, *utra locum priorem habere debeat.*

Pendet autem quæstio ab explicatione verborum apud Joh. vs. 44: ὁ Ἰ. ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης κ. τ. λ. Quæ si ita explicantur, ut *rei apud L. narratæ allusio* quædam insit ("testatus est sc. in urbe Nazareth" cf. L. 4, 24), ipse Joh. locum priorem narrationi L. concessisse existimandus est (ita *Osiander*, *Cleric.*, *Lightf.* al.) *). Possunt autem sic explicari, ut Jesus

*) Imovero alii, vertentes per plusqu. ("quondam testatus fuerat"), eventum Lucæ referunt ad tempus ante iter Hierosolymit., forte ad Joh. 2, 1 vel 2, 12, unde sequitur, omnia a Joh. narrata 2, 13—4, 54 inter L. 4, 30 et 31 interserenda esse (Kuin., Paul. al.); sed hoc certe durius; cel. Paulus quoque in libro recentiore (d. Leben J. pag. 203. 6.) ad sententiam nostram magis inclinare videtur.

Digitized by Google

ingratos Nazarethanorum animos *prævidisse* videatur, ideoque voluisse in alias provinciæ regiones prius quam in urbem patriam abire *); ita vero narrationi Joh. locus prior constabit (ita *Chemnit.*, *Büsching.*, *Storr.*, *Hug.* al.).

Et hæc quidem sententia majorem veritatis notam habere videtur. Nam *primum* expostulatio civium (L. 4, 23) respicere videtur miraculum apud Joh., quum Jesus puerum absentem, Capernaumi ægrotantem sanavit; *deinde* Lucas, vs. 14. 15 de famæ Jesu inter Galilæos celebritate deque successibus ejus (δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων) memorans, ipse indicavit, alia ominis lætioris in Galilæa evenisse antequam in cives ingratos Jesus inciderit; quæ cum iis quæ Joh. h. l. tradidit egregie conspirant. *Denique*, hoc rerum ordine admisso (Jesum non Nazaretha Canam, sed Cana Nazaretham abiisse) lætissimus L. inter et Mt. consensus efficitur, quum affirmet uterque, Jesum Nazaretha Capernaumum se contulisse (Mt. 4, 13. L. 4, 31).

Not. rationem res historicas tractandi diversam: *Mt.* et *M.* causam indicant cur Jesus in Galilæam se receperit: nuntium captivitatis Joh. Bapt. acceptum (ɔ: sortem similem auctoribus Pharisæis veritus), *L.* hac omissa, ex numine ipso immediate repetit: ἐν τῇ δυνάμει τ. Πνεύματος.

---

*) Significationem angustiorem voc. πάτρις h. l. tenendam esse, docet antithesis nominis Γαλιλαία in vs. 45, et confirmant Mt. 13, 54, M. 6, 2: ἦλθεν εἰς τὴν πατρίδα ɔ: in urbem patriam; nam ea etiam quæ prius narrata sunt, evenerant in Galilæa (Mt. 13, 1. M. 5, 21).

Digitized by Google

XXII.

Luc. 4, 16—30. Matth. 13, 54—38. Marc. 6, 1—6.

Christus in synagoga Nazarethana docens a civibus ingratis profligatur.

Quæ apud *Mt.* et *M.* narrantur, quamquam breviter concepta sunt inque compendium quasi redacta, miro modo cum narratione *L.* conveniunt (institutio synagogalis, primum admiratio auditorum, deinde murmurationes de generis Jesu obscuritate, verba Domini de propheta in patrio contemto, incredulitas civium), ut vix dubitare liceat, quin *res eadem ejusdem temporis* intelligenda sit *). *Temporis rationem* vero a Mt. et M. turbatam esse, ex commentariis L. restituendam, inde apparet, quod illi tempus accuratius non indicarunt, imovero in ordine et nexu cum eventibus aliis constituendo omnino inter se dissentiunt; quare harmonistæ antiquiores ex uno eventu tres facere non dubitarunt.

Plura autem generis minutioris apud *M.* subinde accesserunt, ut narratio vividior et rotundior fieret (inpr. vs. 2. 3. 5): verba Mt. ὁ τ. τεκτόνος υἱός leguntur apud M. ὁ τέκτων (num ita consulto mutata, ut auribus piis parceretur?); — οὐκ ἐποίησεν δυνάμεις (apud Mt.) mutata sunt in οὐκ ἠδύνατο ποιῆσαι (non potuit a se impetrare), spirituali miraculorum indole bene indicata; — verba Mt. ὀν δυνάμεις πολλὰς accuratius indicata (vs. 5).

L. exempla exhibet Eliæ soli viduæ Sareptanæ, Elisæi soli Naämano opem ferentis, sed ita proposita,

*) Cf. *Schleiermacher* über d. Schr. d. Luc. p. 63. Diversitatem facti defendit *Paulus* (Comm. I. p. 380. II. p. 273).

Digitized by Google

ut nexus orationis perspicuus desideretur; hunc bene supplevere *Mt.* et *M.*, quanquam exempla omiserunt, monentes, Jesum, obstante animorum incredulitate, paucis modo ægrotis valetudinem reddidisse; cujus rei ut exempla adessent, ad memoriam prophetarum priscorum sine dubio provocavit.

Not. sectionem apud M. finiendam esse in verbis: *διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν.*

XXIII.

Matth. 4, 13—22. Marc. 1, 15—20. Luc. 5, 1—11.

Christus in Galilæa docens Petrum et Andream, Johannem et Jacobum comites sibi adjungit.

Præter harmonistas antiquiores tantum non omnes sunt inter theologos recentiores etiam, qui rem eandem apud omnes narratam esse negent, maxime quia desunt apud L. verba diserta, quibus Petrus vocatus a Jesu et in numerum discipulorum receptus fuerit, ideoque *τοὺς ἁλιεῖς* (5, 2) non quatuor illos discipulos sed mercenarios quosdam Petri intellectos velint (*Michael., Storr., Paulus* Comm. I. p. 408. 442. d. Leben J. I. p. 226. *Hug.* Einl. II. p. 161 s.). Sed capita narrationis graviora omnibus communia sunt: duo navigia piscatoria — exhortatio Christi ad piscaturam hominum aggrediendam — idem rei eventus: *ἀφέντες ἅπαντα, ἠκολουθησαν αὐτῷ*, quæ quidem verba consilium Jesum sequendi tum demum captum declarant. Quod Petrus autem Dominum voce familiariore compellat (*ἐπιστάτα* vs. 5), non est quod miremur, quum jam antea (Joh. I, 42 s.) inter comites Jesu ad tempus receptus fuerit. (Ita nobiscum *Calv., Chemnit., Cleric., Bengel., Lightf., Schleiermacher*, Schr. d. L. p. 69—72).

Digitized by Google

Ita vero quum *unam apud omnes narrationem* adesse credimus, *ordinem temporis* quem *L.* instruxit (dæmoniacus in synagoga sanatus — socrus Petri restituta — Petrus cum sociis tribus advocatus) hoc loco *relinquendum* esse ducimus. *M.* enim 1, 29 verbis disertis affirmat, Johannem et Jacobum adfuisse comites, quum Dominus in domo Petri et Andreæ morbum depelleret; sed in rebus privatis et domesticis Petri quis negaverit Marco, assiduo apostoli socio et amico, præ ceteris fidem habendam esse?

Mt. et *M.* in singulis consentiunt, exceptis *aliis*, quæ apud illum tautologiam habent, ab hoc omissa sunt (vs. 18. 21: δύο ἀδελφοὺς .. ἄλλους δὲ ἀδ.), *aliis* quæ apud M. accuratius dicta sunt: *Mt.* τὸ πλοῖον κ. τὸν πατέρα, *M.* τὸν πατέρα ἐν τ. πλοίῳ — *Mt.* ποιήσω ὑμᾶς, *M.* ποιήσω, ὑμᾶς γενέσθαι.

L., qui vocationem ipsam magis indicasse quam enarrasse dicendus est, in rebus quæ præcessere historicis describendis uberior est.

XXIV.

Luc. 4, 31–37. Marc. 1, 21–28.

Christus hominem dæmoniacum Capernaumi sanat.

In magno narrationis utriusque in verbis etiam consensu, nonnulla apud *M.* aliter sive distinctius sive facilius dicta sunt: διδάσκων ὡς ἐξουσίαν ἔχων (*L.* ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος) — ἄνθρωπος ἐν πνεύματι (*L.* ἔχων πνεῦμα) — σπαράξαν (*L.* ῥίψαν εἰς μέσον) — ἐθαμβήθησαν (*L.* ἐγένετο θάμβος ἐπὶ) — συζητεῖν (*L.* συνελάλουν) — τί ἐστι τοῦτο; τίς ἡ διδαχή; (*L.* τίς ὁ λόγος οὗτος;) — ὑπακούουσιν αὐτῷ (*L.* ἐξέρχονται) — ἀκοὴ (*L.* ἦχος) — ὅλην τ. περίχωρον (*L.* πάντα τόπον τῆς περιχώρου). Neque

Digitized by Google

additamenta aliquot desunt: vs. 22: *καὶ ὄνχ ὡς ὁι γραμματεῖς* — vs. 26: *καὶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ.*

XXV.

Luc. 4, 38—44. Marc. 1, 29—39. Matth. 8, 14—17. 4, 23—25.

Christus socrum Petri et multos alios, in Galilæa docens, ægrotos sanat.

Nexus cum sect. præcedente a *L.* et *M.* accurate indicatur verbis . . *ἐκ τ. συναγωγῆς*; eoque minus narrationem quoque *Mt.*, quæ in alio loco adest, inter plura sanationis miracula, sed tempore nullo omnino indicato (*καὶ ἐλθὼν εἰς τ. οἰκίαν*), huc transferre dubitamus. Commodissime autem cum his conjunguntur, quæ apud Mt. alio priore loco (4, 23 ss.), sed ad tempus idem ut videtur referenda, leguntur de morbis in Galilæa benefice et potenter sublatis.

In *M.*, cujus magnus cum L. consensus est, alia facilius fluunt, alia distinctius ac vividius dicta sunt, idque sic ut ad Mt. propius accedant: vs. 30: *κατεκείτο πυρέσσουσα* (*L. ἦν συνεχομένη πυρετῷ. Mt. ἥψατο τ. χειρὸς αὐτῆς*) — vs. 35: *πρωΐ, ἔννυχα λίαν* (*L. γενομένης ἡμέρας*) — ibid. add. *κἀκεῖ προσηύχετο* — vs. 36: *ὁ Σίμων κ. οἱ μετ' αὐτοῦ* (*L.* indefinite *ἦλθον*).

Not. formulam ex Mt. et L. compositam vs. 32: *ὀψίας γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος* (*Mt. ὀψίας γενομένης. L. δύνοντος τ. ἡλίου*) — locutionem hyperbolicam vs. 33: *ἡ πόλις ὅλη πρὸς τ. θύραν* — particulam *εὐθέως* quater repetitam: vs. 21. 29. 30. 31.

Digitized by Google

XXVI.

Matth. 8, 18. 23—27. Marc. 4, 35—41. Luc. 8, 22—25.

Christus in lacu Galilæo tempestatem sedat.

Ad filum narrationis continuandum indicia certa h. l. desunt; itaque, quid *verisimile* sit, quærendum, atque, si inventum fuerit, retinendum erit.

Ab una parte certum vidètur, esse ab ordine rerum a *M.* et *L.* constituto *recedendum*, qui narrationem de leproso sanato h. l. interposuerunt; nam ut ipsi, de tempore incerti, fortuito quasi ordinem illum arripuisse videntur (*M.* 1, 40: καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς. *L.* 5, 12: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων), ita Mt. auctoritas obstat, qui sanationem istam verbis expressis ad tempus retulit, quo Jesus, habita oratione montana, de monte descendit (8, 1) *); hanc vero ad tempus posterius pertinere, aliis rationibus infra apparebit.

Ab altera vero parte nihil obstare videtur, quo minus in ordine a *Mt.* indicato *maneamus;* imovero, postquam in sectione quæ præcedit observatum est ab evangelistis omnibus, Jesum precibus importunis subduxisse se, ut in reliquis Galilææ oppidis doceret, transitus in ulteriorem lacus ripam nexu commodissimo sequitur. Neque objectio ex L. peti potest, quum tempus incertum omnino relinquatur (vs. 22: ἐν μιᾷ τ. ἡμερῶν). Difficilior quidem M. est, qui tempus longe serius distincte indicavit, diem eundem, quo parabolæ (4, 1—34) propositæ fuerunt (vs. 35: ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὀψίας γενομένης); sed testimonia huic vix aliquid tri-

*) Ordinem chronologicum ex M. et L. contra disertum Mt. testimonium tuentur *Lightfoot., Cleric., Michael., Storr., Hug.* (Einl. I. p. 109 f. 114).

Digitized by Google

buendum est, quum nemo dubitet, seriem illam parabolarum non uno die exhibitam esse, sed diligentiâ scriptoris in unum collectam, adeo ut definitio temporis inde deducta nulla prorsus haberi debeat *).

Exempla dialogi, quæ h. l. a. Mt. interposita sunt (vs. 19—22), locum commodiorem alium apud L. habent (10, 57—62); de quo infra videbimus.

In ipsa narratione autem in perfecto rerum narratarum consensu mira verborum totiusque formæ narrandi *varietas* deprehenditur: *Mt.* σεισμὸς μέγας ἐγένετο. *M.* γίνεται λαίλαψ ἀνέμου μεγάλη. *L.* κατέβη λαίλαψ ἀνέμου — *Mt.* καλύπτεσθαι. *M.* γεμίζεσθαι. *L.* συνεπληροῦντο — *Mt.* κύριε. *M.* διδάσκαλε. *L.* ἐπισάτα — *Mt.* ἐπετίμησε τ. ἀνέμοις καὶ τ. θαλάσσῃ. *M.* ἐπ. τ. ἀνέμῳ, καὶ εἶπε τ. θαλασσῃ. *L.* ἐπ. τ. ἀνέμῳ καὶ τ. κλύδωνι τ. ὕδατος. — *Mt.* ὀλιγόπιστοι. *M.* οὔπω ἔχετε πίστιν; *L.* ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; Narratio *M.* autem, in multis vividior et ornatior (auctore forsitan Petro, itineris et periculi socio) *additamenta* plura habet: vs. 36: παραλαμβάνουσιν ἀυτὸν ὡς ἦν — ἄλλα πλοῖα ἦν μετ' ἀυτοῦ — vs. 38: ἦν ἐν τ. πρύμνῃ ἐπὶ τ. προσκεφάλαιον καθεύδων — interrogationem ironicam: οὐ μέλει σοι; — vs. 39 sermonem rectum pro obliquo.

XXVII.

Matth. 8, 28—34. Marc. 5, 1—20. Luc. 8, 26—39.

Christus apud Gadarenos dæmoniacum sanat.

Appulsio ad agrum Gadarenorum in tribus omnibus evangeliis cum navigatione sect. præced. verbis expressis conjungitur.

---

*) Cf. *Saunier* über d. Quellen d. M. p. 80. — Nobiscum faciunt *Calvin. Bengel. Paulus.*

Digitized by Google

Res apud *Mt.* breviter narrata, accurate et graphice a *M.* et *L.* describitur, inpr. de furore hominis (M. vs. 3—5. 9. 10. L. vs. 29—31), atque de effectu sanationis (M. vs. 15. 16. 18—20. L. vs. 35. 36. 38. 39). In nonnullis etiam *contra Mt. uterque* facit: conveniunt in nomine urbis Gadaræ, quum Mt. nomen provinciæ habet (Gerasæ); de *uno* dæmoniaco referunt, dissentientes a Mt., qui *duos* habet, sine dubio ad tempus idem pro more suo referens, quod ratione quidem simili sed tempore diverso duobus hominibus feliciter evenerat *).

Quanquam vero res eædem sunt idemque rerum narratarum ordo, suo tamen uterque modo narrandi plerumque usus est. *Pauca* sunt, quæ L. propria apud M. desiderantur (L. vs. 27. *ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο*), *plura* vero apud *M.* aut nova accesserunt (vs. 5: *κράζων κ. κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις* — vs. 6: *Ἰδὼν ἀπὸ μακρόθεν ἔδραμε.* vs. 13: *ἦσαν ὡς δισχίλιοι* — vs. 2. 13: *ἐνθέως*), aut aliter posita sunt, consilio ut videtur emendandi exornandique. Ita sermo obliquus in rectum mutatus: vs. 8, 9 (*ὅτι πολλοί ἐσμεν*), 12 — furor dæmoniaci descriptus vs. 4. 5, ante colloquium cum Jesu vs 6 (in *L.* incommode ordine inverso) — vs. 19: *οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν* (L. *ἀπέλυσε αὐτὸν*) — vs. 20: *ἐν τῇ Δεκαπόλει* (*L. καθ' ὅλην τ. πόλιν*). *Alia* tamen apud

*) Alia ratione eaque ingeniosissima cl. *Paulus* (Comm. I. p. 487) et *Schleiermacher.* (über d. Schr. d. L. p. 131) dissensum explicarunt, ex dæmonibus multis (legione) duos dæmoniacos narratione factos esse existimantes. Alias solvendi rationes vid. apud *Wolf.* cur. philol. *Kuinoel.* et *Fritzsche. Augustinus* jam dissensum inde explicat, quod unus altero fama clarior fuerit (de cons. Evv. II. 56. 125).

Digitized by Google

L. melius expressa sunt: vs. 29, cujus apud M. constructio propter hebraismum durior — vs. 31: *εἰς τ. ἄβυσσον* (*M.* *ἔξω τ. χώρας*), quod et per se in dæmones melius quadrat, et cum verbis Mt. 29: *πρὸ καιροῦ βασανίσαι* apprime convenit.

Ubi diversitas verborum in *M.* et *L.* adest, ille ad *Mt.* propius pro more solito accedit: vs. 1 (Mt. 28), 12 (Mt. 31).

XXVIII.

Luc. 8, 40—56. Marc. 5, 21—43. Matth. 9, 18—26.

Christus, sanata muliere hæmorrhousa, filiam Jairi excitat.

Mt. postquam reditum Jesu ex regione Gadarenorum in Galilæam commemoravit, mox ad sanationem paralytici transit (9, 1: *διεπέρασε . . καὶ ἰδοὺ*), paulo serius autem ad historiam mulieris atque puellæ; neque obstat, quod *M.* et *L.* alio loco illam narrationem habent, apud utrumque enim temporis indicium desideratur (*M.* 2, 1: *πάλιν εἰσῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ.* *L.* 5, 17: *ἐν μιᾷ τ. ἡμερῶν*). Nihilo tamen secius a vero vix aberrabimus, si ordinem temporum a *M.* et *L.* indicatum *sequimur*, quoniam accuratissime eum definierunt, neque adeo difficile videtur eos cum Mt. conciliare. *Mt.* enim (9, 1: *διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τ. ἰδίαν πόλιν*) tradit, Jesum, in Galilæam reducem factum, Capernaumum *vix intrasse*, quum paralyticus ipsi se offerret; *M.* et *L.* vero (M. 5, 21: *διαπεράσαντος τ. Ιησοῦ . . ἦν παρὰ τ. θάλασσαν.* L. 8, 40: *ἐν τῷ ὑποστρέψαι τ. Ιησοῦν, ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος . . πάντες προσδοκῶντες αὐτὸν*) *antequam* in urbem redierit, in ipso itinere filiam Jairi

Digitized by Google

ei oblatam esse ostendunt. Ita successionis rerum in Mt. levi mutatione facta, harmonia efficitur *).

Narratio *Mt.* succincta in gravissimis rerum momentis subsistit, multis omissis, sive quæ ad caput rei parum facere videbantur (de nuntio ad patrem misso), sive quæ haud satis cognita vel probata erant (quæ de muliere ferebantur per physicam quasi virium ex Jesu emanationem sanata, et quæ in domo Jairi arbitris remotis gesta fuerant).

In iis quæ omnibus communia sunt *M.* cum *Mt.* propius convenit: Mt. vs. 18. M. vs. 23 — Mt. vs. 21 M. vs. 28 — Mt. vs. 23. M. vs. 38.

Plura tamen *M.* et *L.* accuratius descripta addunt: *Mt.* ἄρχων. *L.* ἄρχων τ. συναγωγῆς. *M.* εἷς τ. ἀρχισυναγώγων — nomen Jairi — *Mt.* ἡ θυγάτηρ μου. *M.* τ. θυγάτριον μου. *L.* θυγάτηρ μονογενὴς, ὡς ἐτῶν δώδεκα (*M.* vs. 42) — *Mt.* ἄρτι ἐτελεύτησεν. *L.* ἀπέθνησκεν. *M.* ἐσχάτως ἔχει — de tribus discipulis comitibus Jesu.

In *M.* etiam cum *L.* comparato, nonnulla distinctius narratæ sunt, quæ ex præsentia Petri hoc in itinere (vs. 37) repetenda esse videntur. Ita discrimen inter periculum mortis ipsamque mortem accuratius observavit, vs. 23. 35 (*L.* vs. 42: ἀπέθνησκεν. vs. 49. τέθνηκεν) — vs. 26: add. μᾶλλον εἰς τ. χεῖρον ἐλθοῦσα —

*) Cel. *Paulus* qui Mt. sequitur seriem narrationum aliter instituit, quam ut defendat, contendit, verba M. (5, 21) et L. (8, 40) non esse formulas *transeundi* et introducendi, cum narratione sequ. conjungendas, sed narrationi superiori de itinere maritimo ut formulas *claudendi* finem imponere (Comm. I. p. 457. 513). Ita vero vim verbis inferri, et nexum male turbari, nemo puto negaverit. Cf. *Schleiermacher* über d. Schr. d. Luc. pag. 123.

Digitized by Google

vs. 29: ἔγνω τ. σώματι, ὅτι ἴαται ἀπὸ τ. μάσιγος — vs. 40: de parentibus et domesticis, resurrectionis testibus — vs. 41: verba aram. ταλιθὰ κοῦμι. In aliis tamen stylus *L.* cursu faciliore fluit, *M.* lento quasi tardoque passu procedit: *L.* vs. 41. *M.* 22 — *L.* 43. *M.* 26. — *L.* 52. *M.* 38. 39.

Not. orationem rectam M. vs. 23. 28, obliquam L. vs. 41. 42. — particulam ἐνθέως quater apud M. repetitam, vs. 29. 30. 36. 42 — atque formulam poeticam in M. vs. 29: ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τ. ἄιματος.

XXIX.

Matth. 9, 1—8. Marc. 2, 1—12. Luc. 5, 15—26.

Christus hominem paralyticum sanat.

Ducem h. l. *Mt.* sequimur, qui accurate et *locum* indicat, Capernaum (τ. ἰδίαν πόλιν), et *tempus*, post reditum ex ripa lacûs orientali (διεπέρασε); *L.* de utroque tacet (ἐν μιᾷ τ. ἡμερῶν); *M.* quoad locum cum Mt. consentit, temporis accuratiore indicio neglecto (δι' ἡμερῶν ɔ: aliquot post diebus).

Mt. pro more suo ad caput rei, documentum potestatis a Jesu exhibitæ, festinat, iis quæ ad scenam instruendam pertinent omissis vel leviter admodum tactis. Hanc vero breviloquentiam (vs. 2: προσέφερον παραλυτικὸν. vs. 3: ὄντος βλασφημεῖ) commentariis *M.* et *L.* copiose et opera data illustratam habemus (*M.* vs. 1. 2. 3. 4. 7. *L.* vs. 17—19. 21).

In *verbis Jesu* referendis verbalis triumvirorum *consensus* adest (*Mt.* vs. 2. 4. 5. 6. *M.* vs. 5. 8—11. *L.* vs. 20. 22—24), in rebus autem mere historicis singularis *varietas*: *L.* 17: ἦν διδάσκων. *M.* 2: ἐλάλει αὐτοῖς τ. λόγον — *L.* 19: μὴ ἑυρόντες, ποίας εἰσενέγκωσιν

Digitized by Google

ἀυτὸν. *M.* 4: μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι — *Mt.* 3: ἔιπον ἐν ἑαυτοῖς. *M.* 6: διαλογιζόμενοι ἐν τ. καρδίαις ἀυτῶν. *L.* 21: ἤρξαντο διαλογίζεσθαι — *Mt.* 4: ἰδὼν. *M.* 8: ἐπιγνοὺς τ. πνεύματι. *L.* 22: ἐπιγνοὺς — *Mt.* 6: κλίνην. *M.* 11: κράββατον. *L.* 24: κλινίδιον — *Mt.* 8: ἐθαύμασαν. *M.* 12: ἐξίσασθαι. *L.* 26: ἔκσασις ἔλαβεν — *M.* 12: οὐδέποτε ὅυτως ἴδομεν. *L.* ἴδομεν παράδοξα. Rationem *quoque*, qua paralyticus adductus fuerit, *M.* et *L.* suis quisque verbis describere tentavit; virorum, qui cum portabant, numerum (IV) *M.* solus indicavit (vs. 3).

Not. partic. ἐνθέως apud M. ter repetitam (vs. 2. 8. 12).

XXX.

Matth. 9, 9—17. Marc. 2, 13—22. Luc. 5, 27—39.

Matthæo discipulo advocato, sermo Christi de jejunio.

Hæc duo ut in tribus evangeliis eodem modo juncta leguntur, ita ratio interna non patitur unum ab altero sejungi; nam quæ de jejunio disputata sunt, aperte respiciunt ad convivium in portitorio institutum *). *Nexus* etiam cum sect. præced. omnibus communis est, isque eo magis pro vero habendus, quod *Mt.* hac prima vice ipse in scenam prodit.

---

*) Quod Levi apud L. (vs. 28) dicitur omnia reliquisse et Jesum secutus esse, vs. 29 vero epulum mox in honorem ejus instituisse, haud adeo offendere debet *(Schleiermacher.*, über d. Schr. d. L. p. 78): quid enim Evangelistis frequentius, quam rei gravioris exitum anticipando lectoribus indicare; ita, quum Levi *discipulum* Jesu mox sese offerret, *comitem* vero *itineris* non ante epulum institutum, Lucas promtam voluntatem sequendi his verbis declaravit: καταλιπὼν ἅπαντα ἠκολούθησεν. Nisi forte cum aliis statuere malis, epulum tandem diebus aliquot interjectis institutum fuisse.

Digitized by Google

Hac ratione *M.* adductum esse crediderim, ut hoc loco Mt. unicum fere ducem sequatur; quodsi enim a paucis discedas, quæ vel tautologice addita (vs. 15: *ἦσαν γὰρ πολλοὶ κ. τ. λ.* vs. 16: *ἰδόντες ἀυτὸν ἐσθίοντα κ. τ. λ.* vs. 18: *καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ιω. κ. τ. λ.* vs. 19: *ὅσον χρόνον κ. τ. λ.*) vel in constructionem faciliorem resoluta sunt (vs. 15 cf. *Mt.* 10 — vs. 19: *νηστεύειν*, *Mt.* 15: *πενθεῖν* — vs. 21: *ἐπιῤῥάπτει*, *Mt.* 16: *ἐπιβάλλει*), singula invenies *M.* cum *Mt.* communia, *L.* ab utroque recedente: *Mt.* 11. *M.* 16: *ἐσθίει*. *L.* 30: *ἐσθίετε* — *Mt.* 14. *M.* 18: *ὀν νηστεύουσι*. *L.* 33: *ἐσθίουτι π. πίνουσι* — *Mt.* 16. *M.* 21: *ῥάκους ἀγνάφου*. *L.* 36: *ἱματίου καινοῦ* — *Mt. M.* ibid.: *ἄιρει τ. πλήρωμα κ. τ. λ.* *L.* *τὸ καινὸν σχίζει* — *Mt. M.* ibid.: *χεῖρον σχίσμα γίνεται*. *L.* *τ. παλαιῷ ὀν συμφωνεῖ ἐπίβλημα*. Excipiendus tamen est vs. 22, qui subito, Mt. relicto, cum L. vs. 37. 38 consensum verbalem exhibet.

In tanto *verborum* Mt. et M. consensu certe mirari subit, quod in *rebus historicis* nonnullis *M.* et *L.* *contra Mt.* simul faciunt: uterque nomen Levi pro nomine Matthæi substituit *); quæstio autem de officio jejunandi, quam discipuli Baptistæ ex narratione Mt. movisse dicuntur, utroque auctore ab hominibus ex multitudine populi proposita est, qui ad exempla discipulorum Pharisæorum et Joh. B. provocarunt.

---

*) In reliqua rerum omnium identitate de viri identitate dubitari vix potest; facillimum autem videtur statuere, nomen Matthæi, significatione emphaticum (מַתַּנְיָה-Θεοδωρος), ab ipso Jesu ei impositum fuisse, ideoque inter discipulos deinde usu valuisse, ut nomen Petri (Joh. 1, 43). Alias interpretum sententias collectas vide apud *Wolf.* et *Kuinoel.* ad h. l.

Digitized By Google

Neque desunt, quæ *singulis propria* sint: *Mt.* 13: effatum propheticum ex Hosea descriptum — *M.* 13: locus distinctius indicatus (*παρὰ τ. θάλασσαν*). 14: nomen Alphæi patris Levi — *L.* 27: munus Levi: *τελώνης*. 29: epulum ab ipso Levi institutum *). 39: exemplum parabolicum, ex homine vinum recens fastidiente. Observandus autem *consensus* omnium in *verbis Jesu* referendis: Mt. 12. 13. 15. M. 17—20. L. 31. 32. 34. 35.

Not. *πυκνὰ* (L. vs. 33) adverb. L. proprium (Act. 24, 26).

XXXI.

Matth. 9, 27—38.

Christus coecis duobus visum et muto linguæ usum restituit, in Galilæa docens.

Ab ordine, quem *M.* et *L.* sequuntur, recedere res ipsa jubet; narratio enim apud *M.* 2, 23 ss. et *L.* 6, 1 ss. ad tempora post secundum iter Hierosolymitanum certe pertinere videtur (vid. infra sect. 47); quid! quod res multæ aliæ supersunt, quæ ratione temporis commode explicari nequeunt, nisi eas ad menses ante secundum festum paschale referre liceat.

---

*) Neque Mt. repugnat, quamquam obscurius scripsit *αὐτοῦ ἀνακειμένου ἐν τῇ οἰκίᾳ*. nam quod monuit cl. *Fritzsche* (Comm. I. p. 341), domum absolute dictam non posse nisi domum Jesu intelligi, subtilius quam verius dictum esse videtur; præcessit enim *τὸ τελώνιον*, in quo habitasse Mt. probabile est; quid! quod docet contextus, rem non in urbe Jesu patria, sed in itinere aliquo (*παράγων ἐκεῖθεν*) evenisse.

Digitized by Google

Ita quum criteria certa desint, *probabilia* quærenda sunt; curni autem in iis subsistamus, quæ in evang. *Mt.* proxime sequuntur, quum rationes neque externæ neque internæ ullo modo obstent.

Utraque sanatio arcte conjuncta est: *ἀντῶν ἐξερχομένων, προσήνεγκαν κ. τ. λ.* *); ni fallor autem, statuendum est, iterum Jesum Capernaumum rediisse; domus certe, in quam intravit Jesus (vs. 28), ex qua coeci visu recepto exierunt (vs. 32), in quam mutus adductus est, facillime intelligitur domus ipsius Domini.

Verba Jesu vs. 37. 38, *alio loco nexu aptiore* apud *L.* leguntur (10, 2); hîc vero, neque incommode, posita esse videntur, ut causa et ratio apostolos eligendi vel emittendi magis appareret **).

XXXII.

Luc. 6, 12—19. Marc. 3, 7—21. Cf. Matth. 10, 2—4.

Christus, multis in Galilæâ sanatis, duodecim apostolos vocat.

Aptissime vocationem apostolorum ad tempus hocce referri, res ipsa docet; jam enim iter hierosolym. se-

---

*) *Paulus* (Comm. I. p. 590): "ad coecos sanandos J. consulto se domum receperat; hic vero (in sanatione muti) homines multi adsunt (vs. 33), eum admirantes; manifestum igitur est, utrumque eventum tempore et loco diversum esse"; — sed unde et quomodo manifestum? curni hominum turbæ ad domum concurrere, sanationi testes adstare poterant?

**) Cl. *Paulus* (Comm. I. p. 459) censet, Jesum in imaginem messis incidisse propter segetes maturescentes, quos ante oculos habuerit, unde colligit, hoc evenisse mense Febr. vel Martio; sed quum imago per usum frequentissimum in usum proverbialem abiit, tum præcipue ra-

Digitized by Google

cundum Jesus parabat, adeoque tempus opportunum erat eligendi, quos aut comites itineris secum haberet, aut nominis sui præcones in Galilæa relinqueret. Neque deest ex *Mt.* argumentum; nihil quidem de vocatione apostolorum habet, sed de emissione eorum infra mox agit (10, 2 ss.); verum non ante eos emissos esse, quam instituti, probati, fide aliquatenus confirmati fuerint, per se intelligitur; quid! quod verba Jesu de messe et messoribus, quæ in sect. præced. Matth. exstant, transitum ad mentionem apostolorum aptum commodumque faciunt. Utut vero res est, jure nostro contendimus, Mt. pro more solito duo historiæ momenta in unum contraxisse *); quæ si resoluta fuerint, non emissionem (de qua postea speciatim L. et M. agunt) sed vocationem apostolorum ad tempus hoc referendam esse.

In narrationibus *M.* et *L.* discrimen hoc observatur, quod de confluxu populi deque miraculis sanationum ille ante vocationem, hic vero post eandem nar-

---

tiones chronologicæ hypothesin non admittunt, nisi cum viro doctiss. festum (Joh. 5, 1) de festo paschali expliveris, id quod parum probabile est (vid. infr.).

*) Et id quidem ipse Mt. profiteri his verbis videtur (10, 1): προσκαλεσάμενος τ. δώδεκα μαθητὰς, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν ↄ: 12 discipulis, quos ante jam vocaverat, dedit potestatem. — Subtiliter et argute, sed num recte dubito, *Schleiermacherus* (eumque secutus *Saunier* l. l. pag. 64) probare conatus est, actum vocationis et institutionis apostolorum ex narratione Lucæ nullum omnino effici posse, Jesum neque inter preces noctem in monte transegisse, nisi ut multitudini strepenti se subduceret, neque duodecim discipulos ad se vocasse, nisi ut in magno hominum concursu comites et socios propiores haberet. (über d. Schr. d. Luc. p. 82—89).

Digitized by Google

ravit. Id vero accidisse M. ex commentariis reliquis parum accurate collatis, certum videtur. Apud *L.* enim vocationem apostolorum hominumque confluxum præcedit (parum accurate, quod deinde videbimus) manus arida sanata (6, 6—11); *Mt.* similiter, postquam manus arida restituta fuerit, magnam hominum turbam concurrisse tradit (12, 9—21), sed de vocatione apostolorum nihil habet. *M.* vero ordinem quidem rerum gestarum ex L. petiit, sed ex Mt., quum putaret de eodem hominum confluxu ac apud L. sermonem esse, non dubitavit nonnulla describere (vs. 12 cf. Mt. vs. 16), et nexum narrationum ad exemplum ejus aliquantulum mutare *). Quæ autem M. propria sunt: Jesum ad lacum descendisse et navigium parasse, ne populi turbis obrueretur, videntur non huc pertinere, sed ad tempus post hominem illum sanatum referenda esse (vid. sect. 46).

Ut *M.* accuratior in diversis hominum nationibus enumerandis est (vs. 8), ita *L.* in ratione describenda, qua Dominus sese ad apostolos eligendos præparavit (vs. 12). In nominibus apostolorum ordinem eundem, paucissimis inter se permutatis, omnes observarunt. Qui apud L. *Judas Jacobi* dicitur, apud *M.* nomen *Thaddæi* habet, apud *Mt.* vero *Lebbæi* cognomine Thaddæi; cognomen *Simonis* apud *Mt.* et *M.* hebraice exprimitur (*Καναίτης*), apud *L.* græce explicatur (*Ζηλώτης*). *M.* denique soli debetur cognomen filiorum Zebedæi (*Βοανεργὲς*) **) nobis servatum.

*) Cf. *Griesbach.* (Syll. comm. theol. edd. Velthusen, Ruperti, Kuinoel. I. p. 375), *Paulus* (comm. I. p. 598), *Schleiermacher.* l. l. p. 85. *Saunier.* l. l. p. 66 s.

**) Nomen honorificum fuisse, vel ex formula loquendi *ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα* apparere videtur, quæ de nomine Petri etiam adhibetur.

Digitized by Google

Not. dæmones ipsos loco et nomine dæmoniacorum agentes et loquentes (*Mt.* vs. 11).

XXXIII.

Matth. 5, 1—7, 29. Luc. 6, 20—49. (Cf. c. 11. 12. 13. 14. 16 passim).

Oratio Christi in monte habita.

Eandem esse *orationem*, a Mt. et L. nobis exhibitam, ex comparatione instituta facile apparebit; quoniam non solum idem utriusque initium, idem finis est, sed singula etiam, quæ utrique communia sunt, eodem fere ordine, nexu eodem se excipiunt:

Mt. 5, 3—6. . . .	*L.* 6, 20. 21.
— - 11. 12. . . .	— - 22. 23.
— - 39—42. . . .	— - 29. 30.
— - 44—48. . . .	— - 27. 28. 35. 32. 36.
— 7, 1—5.	— - 37. 41. 42.
— - 12.	— - 31.
— - 16—21. . . .	— - 43. 44. 46.
— - 24—27. . . .	— - 47—49.

Ita vero identitate admissa, constat ex evang. *L.* orationem habitam esse brevi postquam apostoli ex numero reliquorum electi sunt, populo quidem præsente, sed discipulorum proxime ratione habita (ἐπάρας τ. οφθαλμοὺς εἰς τ. μαθητὰς ἀυτοῦ, L. 6, 20), ut officia, omnibus Christianis communiter inculcanda, inprimis usibus eorum accommodate exponerentur. Neque *Mt.* repugnat; nam ut tempus omnino indefinitum reliquit (περιῆγεν ὅλην τ. Γαλιλ. - ἰδὼν δε τ. ὄχλους. 4, 23. 5, 1), ita, quum discipulorum mentionem facit (προσῆλθον ἀυτῷ οἱ μαθηταὶ ἀυτοῦ), occasionem historicam obscurius quasi innuisse videtur *).

*) *Fritzsche* Comm. I. p. 197.

Digitized by Google

Sed in *ambitu orationis utriusque* maxima diversitas est:

Alia, licet pauca, *L. propria* sunt, ita ut apud Mt. aut nusquam (vs. 24—26. 33. 34. 38), aut alio loco legantur (vs. 39. cf. Mt. 15, 14 — vs. 40. cf. Mt. 10, 24. 25 — vs. 45. cf. Mt. 12, 34. 35).

Alia, eaque plura, a Mt. consignata, inprimis quæ contra τὴν ζύμην τῶν φαρισαιῶν vehementius disputata sunt *), *neque hîc neque alibi apud L.* exstant: 5, 5. 7—10. 14—17. 19—24. 27—31. 33—38. 41. 6, 1—6. 10. 14—18. 34. 7, 6. 14. 15.

Alia denique longe plurima *per alia capita apud L. dispersa* leguntur, alio tempore aliaque occasione dicta:

Mt. 5, 13. . .	*L.* 14, 34.
— - 15. . .	— 11, 33.
— - 18. . .	— 16, 17.
— - 25. 26. .	— 12, 58. 59.
— - 32. . .	— 16, 18.
— 6, 7—13. .	— 11, 1—4.
— - 19—21. .	— 12, 33. 34.
— - 22. 23. .	— 11, 34—36.
— - 24. . .	— 16, 13.
— - 25—33. .	— 12, 22—31.
— 7, 7—11. .	— 11, 9—13.
— - 13. . .	— 13, 24.
— - 22. 23. .	— 13, 25—27.

Quid igitur? Putarunt *alii*, orationem ea etiam forma, quam *Mt.* exhibet — si a paucis quibusdam

*). Verisimile autem est, consulto hæc omissa esse, quia minus apta videbantur commentariis, qui lectoribus ex Judæis conversis non, ut Evang. Matth., destinati erant. Cf. *Paulus* comm. I. p. 775.

Digitized by Google

discesseris — tempore dicto a Jesu habitam esse, ab auditore autem aliquo, sive Mt. fuerit sive alius, mox descriptam ad nos integram pervenisse *), *L.* vero commentariis brevioribus sive, ut rectius dicam, variis commentariorum fragmentis usum esse, ideoque alia multa ignota præteriisse, alia, quibus hic non videbatur superesse locus, quum ea dicta esse a Jesu sciret, ad alia tempora, quæ commoda sibi videbantur, distribuendo retulisse **). *Verum enimvero* in multis eorum, quæ apud L. alio loco leguntur, certa quædam occasio indicatur, ita ut nexus facilior, sensus plenior et distinctior fiat, luce aliqua ex rebus historicis accedente, ita 11, 1—4. 9—13. 12, 22—34. 58. 59. 13, 24—27. 16, 13. Neque facile dixeris, evangelium utrumque conciliari posse, ut singula bis a Jesu proposita fortasse fuerint; hoc enim ut de iis quæ gnomice, concise, proverbialiter dicta sunt (v. c. Mt. 5, 18. 32 cf. L. 16, 17. 18), utique concedi potest, ita vix et ne vix quidem, ubi de disputatione integra vel serie argumentorum aliqua quæritur. Accedit quod nemo negat vel ignorat, Matthæum, ratione temporis plerumque neglecta, ordinem realem potissimum secutum esse, ut paria paribus, similia similibus serie continua adderet. Ita, quum in cc. 8vo et 9no magnus miraculorum numerus congestus est, parabolæ vero in uno capite (13) collectæ sunt, nihil profecto verisimilius est, quam ut in hisce capitibus institutionis

*) *Paulus* comm. I. p. 628, 638—40.

**) *Paulus* comm. I. p. 774—77. *Schleiermacher* d. Schr. d. Luc. p. 89.

Digitized by Google

argumenti ethici specimina pleniora et luculenta exhibere voluerit, elementis undequaque conquisitis *).

Quanquam vero, si narratio quæritur secundum momenta temporum digesta, veritas sine dubio ex commentariis L. potius petenda est, *interpreti* tamen, si quid video, plura suadent ordinem nobis a Mt. traditum servare. Nam — ne hoc moneam, temporis rationem in cc. 11 et 12mo L. indicatam non esse, ut *aliud* quidem tempus fuisse constet, *quodnam* vero fuerit non ita liqueat — quæ apud Mt. uno tenore leguntur, scite admodum et sapienter ratione argumenti composita atque ordinata sunt, ut interpretatio per nexum mutuum facilius sæpe fluat, quin etiam indoles ipsa et genius præceptorum evangelii, qui suprema interpretationis lex est, luce clariore appareat.

In iis, quæ utrique evangelistæ communia sunt, tantus interdum *consensus* est, ut totidem fere iisdemque verbis expressa legantur, ita *Mt.* 5, 44 & *L.* 6, 27. 28. — *Mt.* 6, 21 & *L.* 12, 34 — *Mt.* 6, 22. 23 & *L.* 11, 34 — *Mt.* 6, 24 & *L.* 16, 13 — *Mt.* 6, 25—33 & *L.* 12, 22—31 — *Mt.* 7, 3—5 & *L.* 6, 41. 42. — *Mt.* 7, 7. 8 & *L.* 11, 9. 10.

Varietas tamen verborum locutionumque magna interdum est, quæ exemplis his constabit:

Mt. 5, 11. 12: ὀνειδίσωσι κ. διώξωσι κ. ἔιπωσι πονηρὸν ῥῆμα.	*L.* 6, 22. 23: μισήσωσι κ. ἀφορίσωσι κ. ὀνειδίσωσι κ. ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν.
χαίρετε κ. ἀγαλλιᾶσθε.	χάρητε κ. σκιρτήσατε.

*) *Hug.* Einl. II. p. 114. *Eichhorn.* Einl. I. p. 479. *Kuinoel. Fritzsche* comm. ad h. l.

Digitized by Google

Mt. 5, 40: τῷ θέλοντι τὸν χιτῶνα σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον.	*L.* 6, 29: ἀπὸ τοῦ αἴροντος σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς.
— 6, 20: θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς.	— 12, 33: ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια, θησαυρὸν ἀνέκλειπτον.
κλέπται οὐ διορύσσουσι.	κλέπτης οὐκ ἐγγίζει.
— 7, 11: δώσει ἀγαθὰ.	— 11, 13: δώσει πνεῦμα ἅγιον.
— — 16: ἀπὸ ἀκανθῶν σαφυλήν ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα.	— 6, 44: ἐξ ἀκανθῶν σῦκα, ἐκ βάτου σαφυλήν.
— 24–27: ὁμοιώσω αὐτὸν.	— — 47–49: ὑποδείξω ὑμῖν, τίνι ἔξιν ὅμοιος.
ᾠκοδόμησε τ. οἰκίαν.	ἔσκαψε κ. ἐβάθυνε κ. ἔθηκε θεμέλιον.
βροχὴ.	πλημμύρα.
προσέπεσον.	προσέρρηξε.
οὐκ ἔπεσε.	οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι.
ἐπὶ τ. ἄμμον.	χωρὶς θεμελίου.

Perspicuitatis laus L. plerumque debetur. Quamquam enim, quod brevius hic innuit, *Mt.* interdum uberius et explicatius habet (ita 5, 45: τὸν ἥλιον ἀνατέλλει .. καὶ βρέχει (*L.* χρηστός ἐστιν) — 7, 16—20 cf. *L.* 6, 43. 44.), sæpe distinctius et accuratius invenies rem a L. indicatam, ut sensus apud Mt. obscurior optime inde explicetur. Ita 11, 3: τὸ καθ' ἡμέραν (*Mt.* σήμερον) — 11, 4: τὰς ἁμαρτίας (*Mt.* τὰ ὀφειλήματα) — 12, 58: ὑπάγεις ἐπ' ἄρχοντα (*Mt.* εἶ ἐν τῇ ὁδῷ) — 14, 34: ἀρτυθήσεται (*Mt.* ἁλισθήσεται, quod impersonaliter explicari posset). *Alia*, quæ apud Mt. anomalia

Digitized by Google

grammatica laborant, L. in formam commodiorem redegit: *Mt.* 5, 39: ὅςις σε ῥαπίσει, ςρέψον ἀντῷ., *L.* 6, 29: τῷ τύπτοντὶ σε πάρεχε. — *Mt.* 7, 9. 10: τίς ἐςιν ἄνθρωπος, ὃν ἐὰν ἀιτήσῃ ὁ υἱὸς, μὴ ἐπιδώσει ἀντῷ; *L.* 11, 11: τίνα τὸν πατέρα ἀιτήσει ὁ υἱὸς, μὴ ἐπιδώσει ἀντῷ; Verba vero apud L. 11, 36, glossematis instar parum feliciter addita, melius a Mt. omissa sunt.

Verum in his quæ allata sunt sensus in diversitate verborum idem fere manet; majus est, quod iidem utriusque evangelii loci nonnumquam aut *sensum diversum* habent aut sensum eundem variant, sive quod in aliis Jesu sermonibus alius fuit verborum eorundem usus vel alia præceptorum eorundem forma, sive quod verba ratione diversa ab Evangelistis explicata fuerunt.

Ita *Mt.* 5, 3—6 & *L.* 6, 20. 21. Omnia enim L. omisit, quæ sensum improprium indicant (τῷ πνεύματι. τὴν δικαιοσύνην), omisit quoque laudes, quibus homines virtutibus insignes (ὁι πραεῖς. ὁι ἐλεήμονες. ὁι καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. ὁι εἰρηνοποιοί) beati prædicantur, denique ad verba κλαίοντες et πεινῶντές addidit particulam νῦν, quæ solatium innuit angustiæ mox transituræ; ex quibus omnibus recte ni fallor statuitur, initium orationis aliter apud Mt., aliter apud L. explicandum esse: *aut* de hominibus immerito vexatis et miseris, gratia divina mox sublevandis, qui apud Mt. vs. 10 dicuntur δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης (cf. Luc. 16, 25) *) — *aut*, idque fortasse rectius, de hominibus egenis et afflictis, qui, quum neque divitiarum vanitate corrupti neque fasta inflati sint, potissimum in coetum discipulorum Christi recipiendi erunt, cf. *L.* 10, 21. *Jac.* 2, 5.

*) *Kuinoel.* Comm. II. p. 396. *Paulus* Comm. I. p. 780.

Digitized by Google

Mt. 5, 32 & *L.* 16, 18. Discrimen non hoc solum est, quod apud L. in ipsa actionis culpa subsistitur (*μοιχεύει*), quum effectus actionis in objectum alterum apud Mt. urgetur (*ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι*); sed quum dimissio uxoris apud L., nulla restrictione facta, prohibetur, apud Mt. adulterium ante commissum excipitur ut justa divortii causa. Observandum tamen est, quod verba apud L. non tam de divortio per se loquuntur, quam de matrimonio altero, soluto priore, contrahendo; quare, si membrum utrumque arcte conjunxeris, sensus hic erit: adulterii reum esse, qui sine causa legitima, libidini indulgens (novum matrimonium desiderans) uxorem repudiet. Ita nihil dicitur, nisi quod cum verbis Mt. h. l. conspiret *).

Mt. 5, 42 & *L.* 6, 30. Apud *Mt.* animus commendatur benignus et liberalis, qui, si quis mutuum quid petierit, non recuset; apud L. patientia et indulgentia, quæ bona, vi etiam sibi erepta, durius non requirat.

Mt. 5, 48 & *L.* 6, 37. Jubentur homines apud Mt. perfectam omnino Dei indolem imitari (*τέλειοι*), apud L. sensus ad clementiam et misericordiam Dei restringitur (*οἰκτίρμονες*).

Mt. 7, 22 & *L.* 13, 26. Mt. *τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν κ. δαιμόνια ἐξεβάλομεν κ. δυνάμεις ἐποιήσαμεν* — *L. ἐφάγομεν ἐνωπιον σου κ. ἐπίομεν, κ. ἐν τ. πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας.*

---

*) Dissensûs vero in eadem re majoris exemplum adest inter *Mt.* 19, 9 et *M.* 10, 11; de quo vid. infra sect. 93.

Digitized by Google

XXXIV.

Matth. 8, 3—4. Marc. 1, 40—45. Luc. 5, 12—16.

Christus hominem leprosum sanat.

Sequimur *Mt.*, qui sanationem verbis expressis ad tempus ipsum refert, quo J. oratione habita de monte descendit; neque *M.* vel *L.* repugnante; neuter enim de tempore quidquam habet, nisi quod L. locum, de quo nihil Mt., paulo accuratius indicavit: *ἐν μιᾷ τῶν πόλεων.*

Consensus fere verbalis in omnibus a Jesu dictis, etiam in verbis obscurioribus *εἰς μαρτύριον ἀυτοῖς*, nisi quod L. sermonem obliquum in vs. 14 in rectum subito mutavit, M. et L. autem oblationem, de qua præcepit J., accuratius definierunt: *περὶ τ. καθαρισμοῦ σου.*

In *M.* autem nonnulla *studium emendandi* et reliquas duas relationes inter se *conciliandi* produnt: *Mt.* (vs. 3): *ἐκαθαρίσθη ἀυτοῦ ἡ λέπρα*, *L.* accuratius (vs. 13): *ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' ἀυτοῦ*, *M.* plenius (vs. 42): *ἀπῆλθεν ἀπ' ἀυτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθαρίσθη.* Quod *Mt.* justo brevius scripsit vs. 4: *ὅρα μηδενὶ εἴπῃς*, *M.* recte supplevit vs. 44: *ὅρα, μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς.* — quod *L.* vs. 15 narravit de fama Jesu magis increscente, *M.* vs. 45 ipsi homini sanato proxime tribuit (*ὁ δὲ ἤρξατο κηρύσσειν κ. διαφημίζειν*). Denique quum *L.* vs. 16 narravit, Jesum in loca deserta se recipere, quæri posset, cur hominum usum et societatem fugeret, *M.* igitur vs. 45 indicat: populum ubique famæ ejus celebritate ita excitatum fuisse, ut urbem publice intrare non posset, quod ideo quoque monuisse videtur, ut constaret, Jesum non sine ratione justa homini silentium imposuisse. Alia vero addita ab eo sunt, ut res narrata vividior oculisque præsentior fieret: vs. 41: *σπλαγχνι-*

Digitized by Google

σθεὶς — vs. 42: ἐπὸνεος ἀυτοῦ (si genuina sunt) — vs. 43: ἐμβριμησάμενος ἐξέβαλεν ἀυτὸν.

Not. exemplum singulare rei ejusdem triplici modo variatæ: *Mt.* vs. 2: προσεκύνει. *M.* vs. 40: γονυπετῶν. *L.* vs. 12: πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον.

XXXV.

Matth 8, 5—13. Luc. 7, 1—10.

Christus servum centurionis sanat.

Idem apud utrumque evangelistam *locus* est, Capernaum, *idem* quoque *tempus*, quum Jesus relicto monte in urbem rediit.

Memorabilis adest commentariorum *diversitas*. In eo quidem quod caput rei est, ægroto valetudinem a Jesu, eoque, contra quod solebat fieri, absente, restitutam esse atque fidem centurionis cum vituperio Judæorum laudatam, uterque convenit; sed *Mt.*, ad eventum rei impatienter festinans, ea quæ præcessere narratione brevi et parum accurata absolvit: centurionem ipsum Jesum adiisse ejusque auxilium supplice prece implorasse; id quod *L.* non solum factum esse negavit (vs. 7: ὀυδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν), sed per singula eundo tum presbyteros judaicos tum amicos a centurione ad Jesum ablegatos accurate distinxit. Ita vero dum dissentiunt, nondum unus alteri contradicere dicendus est; imovero quum unus satis esse duxit quid evenerit enarrare, alter quomodo res evenerit referre voluit, utique valet quod *Augustinus* observavit: si quis nuntios suo nomine mittat, ipsum quodammodo dici posse accedere (de cons. Evv. II. 49).

In tanta vero narrationum diversitate, observare juvat in verbis Jesu totidem iisdemque referendis consensum.

Digitized by Google

Quæ leguntur apud *Mt.* vs. 11. 12, alia accasione *L.* exhibuit: 13, 28. 29.

XXXVI.

Luc. 7, 11—17.

Christus filium viduæ Nainiticæ in vitam revocat.

Sequimur *L.*, qui temporis ordinem indicavit verbis ἐν τῇ ἑξῆς sc. ἡμέρᾳ, vel (ex lectione, quam multa subsidia critica tuentur) ἐν τῷ ἑξῆς sc. χρόνῳ *). Accedit, quod ex verbis mox infra positis νεκροὺς ἐγείρετε — νεκροὶ ἐγείρονται (Mt. 10, 8. 11, 5. L. 7, 22), quæ immerito a criticis sollicitata esse videntur, probabile fit, eventum hunc ante emissionem apostolorum et legationem Johannis B. ad Jesum factam ponendum esse.

Proinde sequitur, Jesum, regionibus circa lacum Genezaret relictis, ad *partem Galilææ meridionalem* Samariæ affinem se contulisse, idque sic, ut in *viam* incideret, quæ *Hierosolymam ducebat;* hoc enim de oppido Nain observavit Josephus, Antt. Jud. XX. 6.

XXXVII.

Matth. 10, 1—11. 1. Marc. 6, 7—13. Luc. 9, 1—6. (Cf. cap. 10. 12. passim).

Duodecim apostoli a Christo emittuntur.

Tempus emissionis quod attinet, videtur ex verbis Mt. 11, 1 (μετέβη ἐκεῖθεν κ. τ. λ.) statuendum, Jesum, postquam discipulos emiserit, in regiones remotiores transiisse; ita vero quomodo non verisimile est, quum

*) Bene tamen *Paulus* monuit (Comm. I. p. 821) formulam ἐν τῇ ἑξῆς cum frequentem Lucæ esse Ev. 9, 36 (Act. 21, 1. 27, 17. 27, 18), tum huic auctori in N. T. proprium.

Digitized by Google

ex confiniis Galilææ emigraret, Hierosolymam iter facturus, Dominum reliquisse, qui nominis doctrinæque novæ memoriam inter cives servarent. Tum vero, in iis quæ cum discipulis Johannis Bapt. in Judæa gesta sunt, neque apud Mt. neque apud L. apostolorum mentionem factam esse invenimus; imovero quum ab iis inprimis, famæ ac honoris Domini studiosissimis, judicia iniquiora de Baptista timenda essent, Jesus quicquid de Baptista locutus est, πρὸς τοὺς ὄχλους dirigit (Mt. 11, 7. L. 7, 24), unde concludere licet, quum Jesus in Judæam transiret, apostolos in Galilæa jubente Domino substitisse *). Neque hoc tacendum est, in cap. 5to Joh., ubi referuntur, quæ Jesus Hierosolymæ egerit, apostolorum præsentiam nusquam indicari; quamquam silentio isti non multum equidem tribuerim; nam ut Joh. rarius quam evangelistæ reliqui mentionem discipulorum facit, ita in disputatione cum Judæis Hierosolymitanis habita dixerit aliquis idoneam defuisse eos commemorandi occasionem.

Licet autem provinciæ nomen, in quam exierint (Mt. 10, 5. 6. 16. M. 6, 7. 12. L. 9, 2. 6), inde postea

*) Ex verbis Mt. 11, 1 (μετέβη ἐκεῖθεν, τοῦ διδάσκειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν) haud effici potest, num eo tempore quo emissi sunt, Jesus ex Galilæa in Judæam, an ex Jud. in Gal. transierit; ad αὐτῶν enim — quæ auctoribus sacris non rara negligentia scribendi est — supplendum videtur τ. Ἰουδαίων, cf. Mt. 12, 9. M. 4, 12: ἦλθον sc. οἱ Ἰουδαῖοι. Joh. 3, 23: παρεγίνοντο sc. οἱ ἄνθρωποι. Quodsi vero etiam cum aliis ad τοὺς μαθήτας referre malis, ambiguitas manet, quum discipuli alii ex Galilæa, alii ex Judæa oriundi fuerint (Joh. 1, 45. 47); explicatio d. *Fritzschii* (Comm. I. p. 393): civitates, in quas discipuli evangelium regni Messiani primi attulerunt — nescio an nemini facile probari possit.

Digitized by Google

ad Jesum redeuntes (L. 9, 10), nusquam indicata sit, per se tamen probabile est, apostolos prima vice per oppida vicosque Galilææ emissos esse, in quibus institutione Domini et fama miraculorum animi sic præparati erant, ut aures faciliores sperari possent. Accedunt verba (Mt. 10, 5.): *εἰς ὁδὸν ἐθνῶν .. εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσελθήτε*, constat enim, incolas Galilææ (cujus pars superior nomen inde habebat, *Γ. τῶν ἐθνῶν*) usu frequenti cum Syriis et Phoenicibus consuevisse; ut fines Galilææ cum septentrionales (*ὁδον ἐθνῶν*) tum meridionales (*πόλιν Σαμαρ.*) verbis illis designari videantur.

Orationem ipsam quod attinet, dubitari nullo modo potest, multa h. l. a Mt. descripta esse, quæ longe serius a Jesu dicta sunt; quis enim persuaserit sibi, quum discipuli trepidi timidique, sibi diffidentes neque magistro adeo adhuc confidentes, omni modo, promissis et lætis auguriis erigendi essent, Jesum tempora tristia et funesta prædixisse (vs. 16—39). Certum igitur est, in hac tabula una consignata esse, quæ aliis temporibus inque rebus admodum diversis Jesus discipulis dixerit, ut res adversas antequam adessent exspectarent, et quum adessent fortiter sustinerent. Ita vero factum est, ut *Mt.*, qui ipse materiam sibi quasi præripuit, emissionem *septuag. discipulorum silentio præteriret*, quum *L.* uti solet accuratius missionem utramque distinxit, ideoque hunc in locum nonnisi pauca recepit, quæ particulæ orationis priori apud Mt. respondent, multa vero, quæ incommode a Mt. conjuncta h. l. sunt, alia ad cap. 10m. retulit LXX discipulis dicta, alia ad cap. 12mum, occasione certa quadam historica proposita.

Digitized by Google

Mt. 10, 7—11. . .	*L.* 9, 2—4 (cf. 10, 7).
— – 12. 13. . .	— 10, 5.
— – 14. . . .	— 9, 5.
— – 15. . . .	— 10, 12.
— – 16. . . .	— – 3.
— – 19. 20. . .	— 12, 11. 12.
— – 24. . . .	— 6, 40.
— – 26—33. . .	— 12, 2—8.
— – 34. 35. . .	— – 51—53.

Quæ leguntur apud *Mt.* vs. 8. 17. 18. 21—23. 25. 37—41, in reliquis evangeliis desunt.

Quæ utrique evangelio communia sunt, argumento magis quam verbis conspirant. *Alia* apud *L. brevius* expressa sunt: vs. 2 (sermone recto in obliquum mutato), vs. 3 (ἀργύριον. *Mt.* χρυσὸν, ἄργυρον, χαλκὸν), vs. 4; — *alia accuratius* vel *luculentius* proposita:

Mt. vs. 10: δύο χιτῶνας.	*L.* 9, 3: ἀνὰ δύο χιτ.
— – – : ἄξιος τῆς τροφῆς.	— 10, 7: ἀ. τοῦ μισθοῦ.
— – 11: ἄξιος.	— 9, 6: υἱὸς εἰρήνης.
— – 14: ἐκτινάξατε τ. κονιορτὸν.	— – 5: add. εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς.
— – 19: λαλήσητε.	— 12, 11: ἀπολογήσησθε ἢ εἴπητε.
— – 20: τὸ πνεῦμα τ. πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν.	— – 12: τὸ ἅγιον πνεῦμα διδάξει ὑμᾶς, ἃ δεῖ εἰπεῖν.
— – 27: εἰς τὸ ὦτος.	— – 3: add. ἐν τοῖς ταμείοις.
— – 28: δυνάμενον ἀπολέσαι.	— – 5: add. μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι.
— – 29: οὐ πεσεῖται ἐπὶ τ. γῆν.	— – 6: οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον.
— – 34: μάχαιραν.	— – 51: διαμερισμόν.

Digitized by Google

Quod *Mt.* habet (vs. 29): *δύό ϛρουθία ἀσσαρίου*, *L.* numero duplicato habet (12, 6): *πέντε ϛρ. ἀσσαρίων δύο*· sic quoque *Mt.* vs. 32. 33: *ἔμπροσθεν τ. πατρός*, *L.* 12, 8. 9: *ἐμπρ. τῶν ἀγγέλων τ. θεοῦ*. Major aliquanto diversitas est *Mt.* vs. 26 & *L.* 12, 3: Mt. *ὁ λέγω . . εἴπατε . . ὁ ἀκούετε . . κηρύξατε* — L. *ὅσα εἴπατε . . ἀκουσθήσεται . . ὁ ἐλαλήσατε . . κηρυχθήσεται*· sensus tamen et vis proverbii idem fere manet.

M. utrumque secutus est; nam ut alteram discipulorum emissionem cum *Mt.* præteriit, ita ad commentarios *L.* h. l. brevissimos ne lineam quidem addidit. Liberius tamen in verbis singulis versatus est, idque sic, ut semel Mt. et L. conciliasse videatur; nam quod *Mt.* vs. 14 habet: *ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τ. λόγους ὑμῶν*, *L.* autem vs. 5: *ὅσοι ἄν μὴ δέξωνται ὑμᾶς*, *M.* utrumque conjunxit vs. 11: *ὅσοι ἄν μὴ δέξωνται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσωσιν ὑμῶν*. Idem accurate notavit vs. 7, apostolos *binos* (*δύο δύο*) emissos fuisse, neque non præcepta Jesu apud Mt. *μηδὲ ὑποδήματα*, et apud Mt. et L. *μηδὲ ῥάβδον* (sc. *εἰς τὴν ὁδόν* ɔ: præter ea quæ in usu erant *)), ne justo severius dicta viderentur, explicavit: *ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια — εἰ μὴ ῥάβδον μόνον*, hoc recte videns aliosque monens, Jesum exemplis selectis animum paucis iisque omnino necessariis commendare, singula vero verba ultra modum urgenda non esse. Syntaxeos conturbatæ exemplum memorabile videsis in vs. 8. 9, constructione verborum triplice vice mutata.

Valet autem hic quoque observatio alio loco facta (supr. p. 40): quum interpres non tam tempus inquirat,

*) Cf. *Chemnit.* harm. evv. I. p. 783. *Storr.* üb. d. Zweck d. ev. Gesch. p. 325.

Digitized by Google

quo singula dicta fuerint, quam sensum, quo singula inter se cohæreant, nihil obstare, quo minus interpretatione continua oratio apud Mt. integra maneat, ne quæ consilio et argumento sibi affinia sunt, incommode discerpantur.

XXXVIII.

Matth. 11, 2—19. Luc. 7, 18—35.

Legatio discipulorum Johannis B. ad Christum.

Johannes jam in carcerem ab Herode conjectus (Mt. vs. 2: ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ) discipulos misisse videtur, quum Jesus, Galilæa relicta, sive Judææ sive Perææ fines intravit; id quod L. haud obscure indicavit, quum hujus rei narrationem ita conjunxit cum narratione de juvene Nainitico ex mortuis excitato: καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ κ. ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ· καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων. His ipsis verbis *L.* sententiam suam de *consilio quo missi fuerint* discipuli Baptistæ indicasse videtur: Johannem neque de dignitate Jesu messiana ipsum dubitasse neque moræ impatientem stimulum quasi cunctanti injicere voluisse, sed miraculi fama et celebritate usum fuisse, ut discipulos, quos nomini Jesu invidere sciebat (Joh. 3, 25. 26), magistro communi addictos faceret. Aliam vero rei explicationem *Mt.* innuere videtur, quum verbis vs. 12 (quæ apud L. desiderantur) Jesus impatientem Johannis festinationem reprehendere videatur. Paraphrasis vs. 11-14: "Inter mortales quotquot exstiterunt Joh. locum primum tenet (licet discipuli mei de regno Mess. rectius statuant, quum Johannes ejusque sectatores moræ impatientes violenter agant, atque vi etiam admota regnum

Digitized by Google

Mess. accelerare conentur); nam prophetæ ante eum de adventu Messiæ e longinquo cecinerunt, hic vero ipse præcursor ejus exstitit . ." *).

In singulis fere verbis consensus est, quia in paucissimis auctores ipsi loquuntur, aut Jesum loquentem aut prophetas V. T. canentes inducunt. Nonnulla tamen apud *L.* plenius et accuratius: vs. 21 commentarius est verborum Jesu vs. 22. — vs. 25: *ἐν ἱματισμῷ ἐνδύξῳ κ. τρυφῇ* (Mt. *μαλακὰ φοροῦντες*). — vs. 29. 30: observatio de pietate populi opposita duris Pharisæorum animis; — vs. 33: *μήτε ἄρτον ἐσθίων μήτε οἶνον πίνων* (Mt. *μ. ἐσθίων μ. πίνων*). Verba Mt. obscuriora vs. 12 apud L. 16, 16, nonnullis mutatis (pro *βιάζεται* — *εὐαγγελίζεται*, pro *ἁρπάζουσιν* — *πᾶς βιάζεται εἰς αυτήν*), alio nexu et alio ut videtur sensu leguntur.

Not. quoties verbum *ἦλθε* — *ἐξήλθετε* apud *Mt.* exstat (quinquies), legitur apud *L.* forma præteriti *ἐλήλυθε* — *ἐξεληλύθατε*.

XXXIX

Luc. 7. 36—50.

Mulieri Christum ungenti venia peccatorum indicatur.

Coena in ædibus Pharisæi instructa, videtur ad urbem aliquam Judææ (vs. 37: *ἐν τῇ πόλει*), fortasse Hierosolyman ipsam referenda.

Res narrata diversa sine dubio est ab ea, quam reliqui Evangelistæ (*Mt.* 26, 6—13. *M.* 14, 3—9. *Joh.* 12, 1—8) ultimis vitæ Jesu diebus Bethaniæ

*) Alias explicationes vid. ap. *Paulum* Comm. I. p. 871 s. *Fritzsche* Comm. I. p. 402 ss.

Digitized by Google

evenisse tradunt *). Ipsa quidem unctionis actio et nomen hospitis (Simon) in utraque narratione eadem sunt; sed neutrum insoliti aliquid habet, ex quo identitas rei effici possit, ne dicam, nominis diversitatem ex epithetis diversis apparere: h. l. *Σίμων ὁ Φαρισαῖος*, Mt. 26, 6: *Σ. ὁ λεπρός*. Imo reliqua cuncta, quæ in tribus illis eodem modo se habent, apud nostrum prorsus disparia sunt: mulier, quæ h. l. dicitur *γυνὴ ἁμαρτωλὸς*, ibi Maria soror Lazari est, amicitia et familiaritate cum Jesu dudum conjuncta (Joh. 12, 3. 11, 2. 5. 33), ipsius autem narrationis consilium et indoles longe alia est, quum apud L. infamiæ nota, quæ mulieri adhærebat, Pharisæo murmurandi occasionem dederit, apud reliquos vero ipsa unguenti profusio discipulis vel potius discipulo (Judæ) displicuerit; quare invenimus, Dominum in utroque arguendo alia omnino ratione usum fuisse.

* * *

Joh. 5, 1: *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.*

Observationes chronologicæ.

1. Hypothesin a *Calvino* et *Bengelio* propositam, festum quod Judæorum dicitur intelligendum esse *festum Pentecostes*, et aliam aliorum sententiam, *f. Tabernaculorum*, acute refutavit d. *Paulus* (Comm. I. p. 903—8. 910—12), inprimis ex verbis quæ præcedunt Joh. 4, 35: *τετράμηνον ἔτι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται*

*) Identitatem narrationum evincere conati sunt *Grotius* (ad Mt. l. l.), *Schleiermacher* l. l. p. 110—14, et *Hug.* (Einl. II. p. 162).

Digitized by Google

ita enim excluduntur festa, quorum celebratio in tempora cadit post messem peractam.

2. Sententiam ex communi fere interpretum consensu (*Osiand.*, *Chemnit.*, *Grot.*, *Cleric.*, *Rus.*, *Büsching.*, *Lightf.*, *Scalig.*, *Storr.* al.) d. *Paulus* recepit, *festum Paschatis secundum* indicatum esse.

Sed obstant verba *Joh.* 6, 4: ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα· quis enim crediderit, in uno cap. 5to Johannem res per annum integrum gestas absolvisse, aut quis cum cel. Paulo verterit: *paulo antea* celebratum fuerat f. Paschatis? Denique quod statuit *Eichhornius* (Einl. I. p. 696), verba illa glossema esse manu recentiore additum, mera conjectura est, quæ testium criticorum auctoritate refellitur.

3. Festum, quod ante Pascha proximum erat, *Purim* (d. 15 Adar s. Martii) dd. *Hug.*, *Lücke*, *Tholuck* intellexerunt, præeuntibus *Bernh. Lamio*, *d'Outrein* al., quibus assentiri non dubitamus, quum difficultates jamjam indicatæ sic egregie solvantur, neque improbabile sit, festum, quod Judæis inprimis gratum erat ob memoriam salutis insperatæ, sensu eximio festum Judæorum dictum esse.

Digitized by Google

B.

Inter Festum Judæorum (Purim) et iter Jesu Hierosolymitanum secundum ad festum Tabernaculorum.

(c: fere VII menses).

XL.

Joh. 5, 2—9.

Christus hominem ægrotum ad Bethesdam discumbentem sabbato restituit.

XLI.

Joh. 5, 10—47.

Christus de officio sabbato debito cum Judæis disputat.

XLII.

Matth. 14, 1—12. Marc. 6, 14—29. Luc. 9, 7—9. coll. 3, 19. 20.

Herodis tetrarchæ aliorumque de Christo sententiæ.

(accedit de supplicio Joh. Bapt. relatio).

Jesus Hierosolymæ inter dies festos commoratus, certamina cum Pharisæis fortiter sustinuerat (vid. *Joh.* 5, 16. 18. 24. 33. 44—47), cum magna sine dubio inter populum παῤῥησίας laude; accedebant miracula in Galilæa jam antea gesta; quid mirum itaque, quod Herodes — sive quod festum Hierosolymæ ipse transegit, sive quod famâ quæ evenerant ibi comperta habuit — magna et mirabilia de eo suspicatus est, eumque in Galilæam reducem factum coram cognoscere cupiit. Ita *in chronologia incerta transitus commodissimus* in pericopa hac adest.

Digitized by Google

M. hic quoque locum inter Mt. et L. medium tenet: Lucam in eo secutus, quod diversas de Jesu sententias affert, cum Mt. vero (vs. 2) in verbis ipsis conspirans (vs. 14). *L.* reliquis accuratior inter superstitionem plebis et anxiam dubitationem regis (*διηπόρει .. τις δὲ ἔξιν ὄντος;*) bene distinxit.

Quemadmodum vero *L.* antea (3, 19. 20) per *anticipationem* de captivitate Joh. B. narravit, ita *Mt.* et *M.* h. l. in *supplementum* de supplicio ejus excurrerunt. Uterque quidem et rebus narratis et ordine narrationis accurate consentit; sed in M. forma relationis ita plenior, accuratior, exornatior est, ut dicas eum per singula eundo brevitatem Mt. explere ac emendare voluisse.

Mt. κρατήσας.	*M.* ἀποστείλας ἐκράτησε.
— διὰ Ἡρωδιάδα.	— add. ὅτι αὐτὴν ἐγάμησε.
— οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν.	— ᾧ. ἐ. σ. ἐ. τὴν γυναῖκα τ. ἀδελφοῦ σου.
— (Herodes) θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι.	— ἡ Ἡρωδιὰς .. ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι.
— (Herodes) ἐφοβήθη τὸν ὄχλον.	— (Her.) ἐφοβεῖτο τ. Ἰωάννην .. καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουε.
— γενεσίων ἀγομένων.	— τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσιν.
— δοῦναί σοι ἐὰν αἰτήσηταί.	— add. ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου.

Digitized by Google

XLIII.

Matth. 14, 13—21. Marc. 6, 30—44. Luc. 9, 10—17. Joh. 6, 1—15.

Christus, lacu Galilæo trajecto, quinque millia virorum cibo exiguo saturat.

Tempus definiunt *M.* et *L.* (reditum apostolorum, qui emissi fuerant *), et *Joh.* (festum paschale prope instans) ita ut, ex eo quem sequimur temporis ordine, discipuli per mensem fere itinere apostolico occupati fuerint. *Locum* indicant *Mt.* et *M.*: τόπον ἔρημον, *L.* nomen urbis addit: Bethzaïda orientalis o: Julias; *Mt. M.* (ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἐν πλοίῳ) et *Joh.* situm loci in ripa lacûs Genesaret ulteriore orientali annotant.

Verborum formularumque varietas in *Mt.* et *L.* magna deprehenditur: Mt. τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας ἰᾶτο, L. ἐθεράπευσε τ. ἀῤῥώστους — Mt. ὀψίας γενομένης. L. ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν — Mt. ἀγοράσωσι βρώματα. L. ἔυρωσιν ἐπισιτισμόν.

M. pede pressiore *Mt.* secutus est (vid. inpr. vs. 33—36, cf. Mt. vs. 13—15), nonnulla tamen, quæ plenius vel distinctius in L. exstant, mutuatus (vs. 30. 31 cf. L. vs. 10, vs. 36: εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς κ. κώμας), *aliis* sublnde additis, ut sensum illustraret

*) *Mt.*, ad reditum apostolorum haud attentus, aliam indicavit lacum trajiciendi causam, ut crudelitati Herodis se subduceret (ἀκούσας ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν). Ita vero quum ab ordine Mt. discedimus, necessitatem non arbitrium sequimur; nam si velles etiam in sectionibus, quas priores habet, μαθητας qui sæpius commemorantur (12, 1. 49, 13. 10, 36) non apostolos sed discipulos intelligere, L. obstat, accuratior harum rerum narrator, qui in c. 12, 41 (quod ad idem tempus pertinet) *Petrum* præsentem et interrogantem inducit.

Digitized by Google

(vs. 34: ὅτι ἦσαν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα. vs. 37: δηναρίων διακοσίων. vs. 39. 40: συμπόσια, συμπόσια. πρασιαὶ πρασιαὶ ἀνὰ ἑκατὸν κ. ἀνὰ πεντήκοντα), *aliis* ut scena vividius oculis admoveretur: vs. 31: orati orecta proposita. vs. 37. 38: colloquium modo accuratiore exhibitum.

Joh. in nonnullis accuratior reliquis est: colloquium Jesu cum discipulis ad duos restringit, nominibus notatis Philippi et Andreæ; tum vero, quod apostoli reliquias alimentorum collegerint, factum esse ex præcepto Jesu observat, ἵνα μή τι ἀπόληται (vs. 12); denique de effectu miraculi, quod homines admiratione capti eum regem creare voluerint, solus nos certiores fecit.

Observandum vero, in hac etiam pericopa finem narrationis, qui summam et caput rei, miraculi veritatem contineat, iisdem pæne verbis in quatuor evangeliis exhibitum esse.

XLIV.

Matth. 14, 22—36. Marc. 6, 45—56. Joh. 6, 16—21.

Christus in Galilæam, deambulans in lacu, redit, et ægrotos sanat.

Narratio cum ea quæ præcedit immediate conjuncta: *tempus* (Mt. vs. 23. M. vs. 47. Joh. vs. 16) ὀψία, cf. supra *Mt.* vs. 15, *M.* vs. 35, L. vs. 12 — *locus:* reditus in ripam occidentalem, in regiones Bethzaïdæ occident. (*M.* vs. 45), Genezaret (*Mt.* vs. 34, *M.* vs. 53), Capernaumi (*Joh.* vs. 17), cfr. supra *L.* vs. 10, *Joh.* vs. 1; *causa reditûs* vero (*Mt.* vs. 22, *M.* vs. 45: ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους) explicatur ex *Joh.* vs. 15: ὅτι μέλλουσιν ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν

Digitized by Google

ἀντὸν βασιλέα. Adde denique *M.*, qui nexum cum sect. proxima his verbis indicavit vs. 25: οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις.

M. pauca quædam ad narrationem Mt. addidit, ita ut *studium emendandi vel supplendi* apparere videatur: *Mt.* vs. 22: εἰς τὸ πέραν. *M.* add. πρὸς Βηθσαϊδαν — *Mt.* vs. 23: ἀπολύσας τ. ὄχλους. *M.* (ut repetitionem verborum eorundem evitaret): ἀπρταξάμενος ἀντοῖς — *Mt.* vs. 25: τετάρτῃ φυλακῇ. *M.* (ne videretur horam ipsam definire): περὶ τετάρτην φυλακὴν — *Mt.* vs. 25: περιπατῶν ἐπὶ τ. θαλάσσης. *M.* add. κ. ἤθελε παρελθεῖν ἀντούς. Accedit observatio de animis discipulorum obtusis (vs. 52), et sanatio ægrotorum accuratius descripta (vs. 55. 56).

Narratio *Joh.*, quamquam reliquis brevior, spatium quo navis a littore distabat, accuratius notavit (25—30 stadia). Verba ἤθελον λαβεῖν (vs. 21) videntur explicanda: "festinabant eum excipere s. libenter et cupide eum exceperunt" *) (cf. *L.* 20, 46. *J.* 8, 44), idque non tam ut efficiatur cum Mt. et M. consensus (ἀνέβη), quam quia nexus verborum ita fieri jubet; quodsi enim sensus hic esset, voluisse quidem eos Jesum excipere, neque excepisse tamen, quum navis mox ad terram feliciter appelleret, oratio sane particulam ἀλλὰ pro καὶ flagitaret.

Quod *Mt.* de Petro narravit ad Dominum accurrente (vs. 28—31), mirari subit et *Joh.* et *M.*, qui cum Petro conjunctissimus erat, omisisse; unde nescio an suspicari liceat, additamentum in versionem græcam Evangelii nostri serius receptum esse **),

*) cf. *Lücke* comm. in Joh. ad h. l.

**) cf. *Eichhorn* Einl. ins N. T. I. p. 483.

Digitized by Google

præsertim quum indoles eius ab evangeliis apocryphis haud multum abesse videatur.

XLV.

Joh. 6, 22—59.

Christus de pane cœlesti Capernaumi in synagoga verba facit.

Nexus cum sect. superiore constat non tam ex formula τῇ ἐπαύριον, quæ ambiguitatis aliquid habet (vid. supr. sect. 12 p. 11), quam ex eo quod dicitur, populi multitudinem ex ripa ulteriore lacu trajecto Jesum secutam esse, eumque quærentem Capernaumum adeo intrasse (cf. vs. 17).

XLVI.

Joh. 6, 60—7, 1.

Colloquium Christi cum discipulis continuatur.

Not. 7, 1: καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ.

XLVII.

Matth. 12, 1—8. Marc. 2, 23—28. Luc. 6, 1—5.

Christus discipulos die sabbati spicas vellentes defendit.

Eventus, qui locum priorem certe in evangeliis habet, sic tamen ut tempus indefinitum relinquatur (*Mt.* ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ), rectius sine dubio huc refertur. *Primum* enim post iter Hierosolymit., de quo Joh. in cap. 5to, res evenisse censenda est, quia, quum antea nullum invenitur exemplum rei inter Jesum et Pharisæos hostiliter actæ, Hierosolymæ tandem acciderant, quæ odium cruentum excitabant (Joh. 5, 16. 18. 24. 33. 44—47). *Deinde* res ipsa narrata

Digitized by Google

tempus indicat, quo segetes jam maturescebant; ita vero quum messis a mense *Nisan* inceperit, tempus h. l. efficitur commodissimum, medius fere mensis Nisan s. tempus paschatis *) (cf. *Joh.* 6, 4. sect. 43).

Narrationis diversitas aliqua in locis paucissimis adest, idque sic ut appareat, *M. ex reliquis duobus hausisse.* Jta quum Pharisæi apud *Mt. accusantes ad Jesum* se convertunt, apud *L.* vero ad *discipulos interrogantes*, *M.* cum Mt. *objectum* orationis (Jesum), *formam* orationis interrogativam cum L. communem habet; — ad verba *Mt. τοὺς ἄρτους ἔφαγεν* addit cum *L. καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς συν ἀυτῷ* (*μετ' ἀυτοῦ*) *ὄυσι*, sic tamen ut cum *Mt.* enuntiationem relativam accuratius ad nomen quod præcedit, *τοὺς ἄρτους* referat, atque

*) Quodsi *σαββ. δευτεροπρωτον* (L. 6, 1) certum aliquod sabbatum intelligere liceret, egregium adesset ad rationes temporis definiendas momentum. At enimvero dubitationem jam mira explicationum diversitas movet: *Scaliger. Casaub. Lightf. Rus. Kuinoel.*: 1m. sabb. post 2d. paschatis diem — *Chemnit.*: dies festi paschalis septimus (utpote alter eorum, qui honore sabbati digni habebantur) — *Storr.*: 1m. sabb. mensis 2di — *Grot.*: sabb. pentecostes (ɔ: secundum ex iis, quæ omnium prima et præcipua existimabantur); cet. — Quid! quod sabbatum dictum esse videtur *δευτεροπρωτον*, quoties alium diem festum v. c. diem novilunii præcedebat (ɔ: *πρωτον s. προτερον δευτερου σαββ.*), quum nomen sabbati festo cuicunque commune esset, quod præceptum habebat a labore abstinendi. Eodem fere modo *Theophyl. το κυριως σαββ. ὠνομαζον δευτεροπρ., ὡς δευτερον ὂν προηγησαμενης ἀλλης ἑορτης π. σαββατου.* Videtur autem L. diem indicasse, non tam cura chronologiæ ductus, quam ut discipuli propter duo festa continua facilius excusationem haberent. Vid. quæ de h. l. accurate et docte disputavit d. *Paulus*, comm. II. p. 32—35.

Digitized by Google

in hac ipsa verbum ἔξεστι facilius cum casu dativo construat, τοῖς ἱερεῦσι (L. τοὺς ἱερεῖς).

Evangelistis singulis quædam nonnulla propria sunt: *Mt.* exemplum sacerdotum sacra facientium die sabbati — *M.* verba vs. 24: ἐπὶ Ἀβιάθαρ τ. ἀρχιερέως (quibus misere cruciantur, quotquot præconceptam inspirationis verbalis theoriam mordicus retinere volunt), et vs. 27: καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς . . διὰ τὸ σάββατον *), — *L.* dies sabbati accuratius indicatus: ἐν σαββ. δευτεροπρώτῳ.

Not. verbum triplici modo variatum: *M.* ἐπορεύθη. *Mt.* παραπορεύεσθαι. *L.* διαπορεύεσθαι.

XLVIII.

Matth. 12, 9—21. Marc. 3, 1—6. (7, 9. 12) **). Luc. 6, 6—11.

Christus manum tabidam die sabbati restituit.

Nexus narrationis cum ea quæ præcedit indicatur apud *Mt.* (μεταβὰς ἐκεῖθεν) et *L.* (ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ, cf. 6, 1).

Ipsa sanatio iisdem fere verbis apud omnes traditur, sed in iis quæ præcedunt magna diversitas est. *L.* enim omisit quæstionem Pharisæorum (Mt. vs. 10), vel potius eam ad internas animi insidias revocavit (παρετήρουν δὲ . . ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν), omisit exem-

*) Nondum vero ex hoc verborum additamento sequitur, *M.* aliter ac *Mt.* et *L.* verba Jesu intellexisse; imo sensus hic esse videtur: "quodsi officia, quæ hominibus, graviora sunt, quam quæ sabbato debentur, quomodo non Messias, princeps ille hominum, Dominus sabbati habendus est, qui a lege ejus dispensare possit." De hominibus omnino ὁ υἱὸς τ. ἀνθρώπου explicarunt *Grotius*, *Paulus*, *Fritzsche* al.

**) De his Marc. versiculis vid. quæ notavimus in sect. 32ma.

Digitized by Google

plum ex ove in cisternam delapsa petitum (Mt. vs. 11. 12), substituit vero in locum ejus interrogationem a Jesu Pharisæis propositam (vs. 8. 9). — In his omnibus autem *M. secutus est Lucam*, plerumque tamen brevior, exceptis iis quæ ad verba *περιβλεψάμενος ἀυτοὺς* explicationis instar addidit: *μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας ἀυτῶν* (vs. 5), et quæ accedunt de Pharisæis cum Herodianis consilia perfida molientibus *). — *Mt.* lectoribus pro more suo (vid. supr. sect. 2 p. 2) consulturus pio verborum propheticorum usu, in modestiam Christi inque gloriam sub specie humilitatis latentem animos et attentionem convertit (vs. 17—21).

XLIX.

Matth. 12, 22—45. Marc. 3, 20—30. Luc. 11, 14—36.

Christus, homine dæmoniaco sanato, calumnias Pharisæorum repellit.

Observationes chronologicæ.

1. Hæc narratio apud *Mt.* ita conjungitur cum narratione de adventu matris et fratrum Jesu cumque parabolis populo propositis, ut ad unum diem omnes referantur (12, 46: *ἔτι ἀυτοῦ λαλοῦντος.* 13, 1: *ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ*). Ex eo igitur temporis ordo apud *L.* corrigendus est, qui institutionem per parabolas quidem et adventum matris loco eodem habet (8, 5—21), sed hæc a sanatione hominis dæmoniaci sejunxit, quamquam fateri ipse videtur, de tempore eventuum istorum nihil sibi constitisse (8, 1. 4: *ἐν τῷ καθεξῆς. συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ*).

*) Vel inde concludere licet, hanc sectionem post sect. 42^mam^ ponendam esse, in qua sermones referuntur in aula Herodis de Jesu currentes.

Digitized by Google

2. Tum vero hæc eadem dæmoniaci sanatio apud *L.* intimo nexu conjuncta est cum omnibus iis, quæ adsunt 11, 37—13, 9 (11, 37: ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι. 12, 1: ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τ. ὄχλου. 13, 1: ἐν ἀυτῷ τῷ καιρῷ), ut ea nullo modo separare liceat; ita ut capitibus his *Mt.* et *L.* inter se copulatis comprehendi videantur narratione accuratissima, quæ per horas unius diei evenerint.

3. Quodsi autem quæritur, ad *quodnam tempus* integrum hoc narrationum syntagma referri debeat, quum sanationem illam *Mt.* loco priore, *L.* posteriore habeat, in hoc *Mt.* sequi non dubitamus. *L.* enim sine omni temporis indicio mox incipit (11, 14): καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον· *Mt.* vero ita saltem per particulam τότε (12, 22) rem conjungit cum sanationibus quæ præcedunt (sect. 48va), ut ordo, per se quoque commodissimus, haud certe relinqui debeat.

*

Comparatio *Mt.* et *L.* instituta plures monstrabit evangelii utriusque *diversitates*.

Primum enim etsi gravissima quæque narrationis momenta in utroque reperiuntur, at compluria tamen, ab uno omissa, apud alterum adsunt: homo, qui apud *L.* surdus dicitur, apud *Mt.* surdus et coecus apparet; quod interpositum est apud *L.* vs. 27. 28 de muliere orationibus Jesu pie commota, ut matrem filii tanti beatam prædicaret, apud *Mt.* deest; quæ adsunt *L.* vs. 33—36, iisdem fere verbis exstant *Mt.* 5, 15. 6, 22. 23, quin apud L. etiam repetuntur ex parte 8, 16, sed nexum h. l. offerunt aptissimum, quamquam non negaverim, eadem, utpote gnomice et proverbialiter dicta, sæpius a Jesu dicta esse. *Mt. propria*

Digitized by Google

sunt quæ adversus Pharisæos asperius et h. l. nexu aptissimo dicta sunt vs. 33—37 (πῶς δύνασθε ἀγαθά λαλεῖν, πονηροὶ ὄντες; κ. τ. λ.); locus vero de βλασφημία τοῦ πνεύματος, qui responsi Jesu culmen quasi supremum constituit, apud L., quod mireris, alio nexu, neque eo incommodo, legitur c. 12, 10 *).

Deinde - quum alia iisdem fere verbis apud utrumque exstant (*Mt.* vs. 27, *L.* vs 19. *Mt.* vs. 30, *L.* vs 23. *Mt.* vs. 39. 41—45. *L.* vs. 24—26. 29. 31. 32), in aliis *verba differunt*, idque sic ut interpretatio diversitate ipsa egregie adjuvetur. Ita *Mt.* vs. 28: ἐν πνεύματι θεοῦ, *L.* vs. 20: ἐν δακτύλῳ (s: δυνάμει, κράτει) θεοῦ — *Mt.* vs. 29 expositione uberiore legitur *L.* vs. 21. 22 — *L.* vs. 30. 32: τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ explicatur τὸ κήρυγμα ἀυτοῦ, et hæc quidem explicatio ita confirmatur altero exemplo Salomonis, cujus σοφία dicitur σημεῖον exstitisse reginæ australi eodem modo quo τὸ κήρυγμα Jonæ Ninivitis, ut suspicio sponte oriatur, explicationem *Mt.* vs. 40, qua signum Jonæ ad resurrectionem Jesu refertur, non ex ore Jesu profectam esse, sed evangelistæ deberi, adeoque per parenthesin legendam esse **).

---

*) Quin fatendum etiam est, quod acute monuit *Schleiermacher* (Schr. d. L. p. 185 f.), vs. 32 Mt. miram facere difficultatem, quomodo inter blasphemiam Filii et Spiritus S. distinguendum sit, quum ex contextu loci intelligi non possit nisi Spiritus in Filio et per Filium operans, longe facilius vero interpretationem apud L. fluere, ubi το πν. ἁγ. referri possit ex serie orationis ad efficaciam discipulorum post discessum Christi vim divinam aperte arguentem.

**) Cf. *Paulus* Comm. II. p. 138 ff. *Schleiermacher* über d. Schr. d. L. p. 176 f. Accedit quod verba σημεῖον οὐ δοθήσεται εἰ μὴ . . nullo modo quadrant in resurrectio-

Digitized by Google

Denique nonnulla sunt, in quibus *) *ordo* recte ab uno servatus, ab altero turbatus videtur: exemplum Jonæ et Ninivitarum (vs. 30. 32) miro modo dissectum apud *L.* habemus, interposito vs. 31 exemplo Salomonis et reginæ australis; quid! quod non multum profecto abesse videtur, quin inversio vs. 32 et 31, primis jam temporibus facta, admittenda sit. Contra, quæ de spiritu leguntur ex homine exeunte, mox vero cum septem aliis redeunte, nexu commodiore apud M. adesse videntur, præcedente diaboli cum rege potente comparatione **).

---

nem, qua nullum signum præclarius et evidentius, imo potius signum generis diversi indicatur, spirituale oppositum physicis, quæ Judæi postulabant.

*) Nolo huc referre, quod apud L. vs. 16 (πειράζοντες σημείον ἐζήτουν), ad quem deinde respicit vs. 29, prius positus est; imo rectius sine dubio *L.* hoc observavit, Pharisæos eodem tempore vocibus mixtis alios miraculum Jesu impie accusasse, alios signa majora postulasse; Mt. vero, ordinem realem secutus, utrumque tempore distinxit, prouti Jesum respondendo ab uno ad alterum transiisse sciebat.

**) In hoc verborum ordine facilis et apta est explicatio vs. 23: ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστι κ. τ. λ., ut ab una imagine (vs. 21. 22) ad alteram (vs. 24—26) transitum faciat, propius ad hanc pertinens, hoc fere sensu: "si quis non pectus integrum mihi dederit, fidem plenam mihi habeat, est ac si a me prorsus alienus sit; mox enim ad errores et vitia nuper relicta redibit." Apud *Mt.* vero verba ita posita sunt, ut clausulam imaginis prioris faciant; sic autem explicatio hæret, et vix expediri potest, nisi dixeris, Jesum proverbialiter loquentem aliam personam ipsum quasi induisse, sic fere: "ita certum est, me cum Beelzebub non facere, imo ei infestissimum adversarium esse."

Digitized by Google

M. quod attinet, nonnisi epitome brevissime concepta adest, eventu ipso, qui calumniis Pharisæorum ansam dederat, silentio omisso, criminatione vero ita proposita, ac si universam Jesu sanandi rationem respiceret (ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια). Ideo vero, ne transitus aliquis et initium narrationis desideraretur, vs. 20. 21 præmissi esse videntur, in quibus verbum ἔξέστη miram difficultatem interpretibus creavit *). In reliquis narratio ad *Mt.* proxime accedit, vide inprimis vs. 24. 26 (οὐ δύναται σαθῆναι), et vs. 27.

L.

Matth. 12, 46—50. Marc. 3, 31—35. Luc. 8, 19—21.

Ad Christum mater et fratres accedunt.

Observatum est ab interpretibus **), et recte uti videtur, *nexum* accuratissime apud *M.* indicari: vs. 31 enim esse ad vs. 21m. referendum, quod ex particula οὖν appareat, neque igitur calumnias Pharisæorum, sed institutionem et disputationem, quæ ultra modum extrahi videbatur, causam existimandam esse cur mater et fratres accesserint.

---

*) Vid. *Wolf.* curæ philol. ad h. l. Mihi quidem explicatio hæc facillima videtur: "cognati Jesu quum viderent tantam circumstare hominum multitudinem, ut cibum necessarium capiendi copia non adesset, accesserunt ut eum ad se reciperent (κρατῆσαι), dicentes, tanto *docendi studio et fervore eum abripi*, ut sui nullam haberet curam." Interpretatio cel. *Pauli*, cognatos Jesu suspicione *insaniæ* arcessitos esse a Pharisæis ut eum custodiæ committerent (Comm. II p. 14. 150, 56), mera hypothesi eaque artificiosa admodum nititur.

**) *Michaelis* annott. ad M. h. l. *Paulus* Comm. II p. 150. *Kuinoel* II p. 40.

Digitized by Google

Apud *L.* ordo quidem alius est, ut parabolæ præcedant, deinde vero cognati accedant; sed quum nexum indefinite notaverit (*παρεγένοντο δὲ*), *Mt.* vero accurate et distincte (*ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις*), antequam ex domo exierit, ab auctoritate hujus recedendum non est.

Mt. et *M.* accurate consentiunt, *L.* brevior est in verbis Jesu referendis. In nonnullis vero alius alio accuratior est; *L.* impersonaliter *ἀπηγγέλη*, *M.* *ἔιπον αὐτῷ*, *Mt.* *ἔιπε τις αὐτῷ* — *Mt.* *ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι*, *L.* *οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον*, *M.* *ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν φωνοῦντες αὐτόν*.

LI.

Luc. 11, 37—54. Cf. Matth. c. 23 passim.

Christus in coena Pharisæi mores Pharisæorum acriter perstringit.

Quæ in cap. 23mo *Mt.* contra Pharisæos dicta sunt, magnam partem h. l. apud L. leguntur: *Mt.* vs. 4. 6. 7 = *L.* vs. 46. 43 — *Mt.* vs. 13 = *L.* vs. 52 — *Mt.* vs. 23—36 = *L.* vs. 39—42. 44. 45. 47—51. Esse vero ibi præ more evangelistæ fragmenta orationum ex temporibus diversis in unum collecta, certum esse videtur; quomodo enim credibile est, Jesum nunc in persona tertia *de* Pharisæis (vs. 2—7), nunc in secunda *ad* eosdem locutum esse (vs. 13—33)? et quomodo, dum ad multitudinem populi atque discipulos verba faciat (vs. 1), subito ad Pharisæos orationem convertisse? Apud *L.* vero omnia cum inter se egregie cohærent, tum vero loco (in domo Pharisæi cujusdam) et occasioni (facillimus enim ex manibus illotis ad lustrationem vasorum domesticorum transitus) apprime con-

Digitized by Google

veniunt; denique, quum nomina Pharisæorum et Legisperitorum apud *Mt.* inter se miscentur, apud *L.* distinguuntur quæ singulis dicta fuerint, annotata etiam occasione transitus, quum τις τῶν νομικῶν (vs. 45) Domino loquenti vocem opposuit.

Nonnulla vero apud *Mt.* plenius et luculentius dicta sunt, ut explicatio *L.* iis haud parum adjuvetur; ita verba Jesu apud *L.* vs. 48: ἄρα μαρτυρεῖτε . . (ironice sine dubio intelligenda) illustrantur verbis, quibus Pharisæi loquentes inducuntur (Mt. vs. 30) εἰ ἤμεθα . . — *L.* vs. 50: τοῦ ὄικου explicatur apud *Mt.* vs. 35: τ. ναοῦ — *L.* vs. 51: ἤρατε τὴν κλεῖδα τ. γνώσεως, *Mt.* vs. 14 clarius: κλείετε τὴν βασιλείαν τ. ὀυρανῶν. Alia apud Mt. solum leguntur: vs. 6: τ. πρωτοκλισίαν ἐν τ. δείπνοις, vs. 24. 33. 34: ϛαυρώσετε-μαϛιγώσετε. Nomen etiam *Βαραχίου*, quod tantummodo apud *Mt.* vs. 35 exstat, videtur ex studio explicandi adjectum esse, fallente vero ut videtur sive evangelistam sive translatorem græcum memoria *).

In aliis non solum *diversitas* verborum sed *sensûs* etiam observatur, quæ ex diversa verborum Jesu explicatione orta videtur. Ita quum Jesus distinxit τὸ ἔξωθεν et το ἔσωθεν, hoc quidem explicatur apud *Mt.* (vs. 25. 26) de iis, quæ in patina et poculo asservantur (ἔσωθεν γέμουσι), apud *L.* vero (vs. 39—41) ratione duplici, primum de interna Pharisæorum indole (τὸ ἔσωθεν ὑμῶν) **), deinde de opibus (τὰ ἐνόντα). Sic

*) Cf. *Mill*, annott. ad h. l. *Paulus*; *Fritzsche* comm. ad h. l.

**) Nam durissimum videtur, quod placuit *Paulo* I p. 166, *Kuinolio* II p. 479, referre ὑμῶν ad ἁρπαγῆς: "quod intus in poculis est, plenum est *rapinæ vestræ*."

Digitized by Google

quoque in comparatione *Mt.* vs. 27 sepulcra dicuntur *κεκονιάμενα*, ceu imago *hypocriseos* (extrinsecus candida sunt, intus ossibus repleta), apud *L.* vs. 44 *ἄδηλα*, ut significent *astutiam perfidam*, quæ, dum turpitudinem callide occultet, homines facilius decipiat.

Verba quæ apud *L.* vs. 49 ex libro quodam descripta videntur (*ἡ σοφία τ. θεοῦ εἶπεν*) *), apud *Mt.* vs. 34 ad Jesum ipsum referuntur, fortasse quod usu ita omnibus cognita fuere, ut fontem indicare haud necessarium videretur.

LII.

Luc. 12, 1—59 (exc. 54—56). Cf. Matth. cc. 5. 6. 10. 24 passim.

Orationes Christi variæ discipulis dictæ.

Nexus indicatur verbis vs. 1: *ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τ. ὄχλου* (ex quibus concludere quoque licet, inprimis si 11, 53. 54 conferas, hæc dicta esse in alio quodam loco, relicta jam cœna et domo Pharisæi), favente argumento primæ orationum particulæ; etenim postquam Jesus vitia Pharisæorum coram castigavit, nihil sane aptius erat, quam discipulos deinde monere, ut neque hypocrisi eorum confiderent (*προσέχετε ἑαυτοῖς*), neque nimis eam timerent (*μὴ φοβηθῆτε*).

Num vero quæ hîc serie continua leguntur, recte fuerint a *L.* ad *tempus unum* relata, quæri possit, quum apud *Mt.* per varios locos dispersa et alio prorsus nexu conjuncta reperiantur. Sed ex Mt., qui

*) Cf. *Paulus* Comm. II. p. 172. Explicatio *Kuinoelii* (II. p. 488: Sapientia Dei o: Deus sapientissimus per me loquens) certe durissima est.

Digitized by Google

magis quid dictum fuerit quam quo tempore et loco quæsivit, argumentum haud facile quisquam h. l. petierit; quid! quod in orationibus a *L.* descriptis neque desunt — ut fit in narratione accurata — quæstiones et interlocutiones singulæ notatæ (vs. 13. 41), neque difficile est filum argumenti unum ac continuum monstrare. Nam ad vs. 12 usque omnia ad hæc redeunt et recurrunt: προσέχετε ἑαυτοῖς et μὴ φοβηθῆτε· sequitur inde a vs. 15 usque ad vs. 30 exhortatio de πλεονεξία fugienda, cui occasionem dedit importunus hominis interventus vs. 13; inde viâ antitheseos transitus facilis erat, ut moneret: ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τ. Θεοῦ (vs. 31); hujus autem constantis et intrepidi religionis studii laudes ad vs. 48 usque decurrunt, parabola ad quæstionem Petri vs. 41 apte interposita *); neque minus commode tandem in mentionem communis rerum perturbationis incidit, cujus ipse auctorem se exstiturum esse prævidebat (vs. 49—53). Versiculi autem 54—56, quibus οἱ ὑποκρίται præsentes perstringuntur, huc pertinere certe non videntur (vid. infra sect. 62); in vs. 57—59 (cf. *Mt.* 5, 25. 26, sect. 33 p. 38) nexus commodior adest.

L. verò cum *Mt.* communia hæc sunt:

Vs. 1. . . .	*Mt.* 16, 16.
— 2—9. .	— 10, 26—33.
— 10. . .	— 12, 32.

*) Acuta et ingeniosa observatio *Schleiermacheri* est (l. l. p. 189), distinctionem servorum vs. 47. 48 (ὁ γνοὺς — ὁ μὴ γνούς) referendam esse ad bipartitam Petri interrogationem vs. 41 (ἡμᾶς — πάντας), ut appareret, parabolam omnibus quidem propositam esse, sed inprimis tamen discipulos plenius edoctos spectare.

Digitized by Google

Vs. 11. 12.	*Mt.* 10, 19. 20.
— 22—31.	— 6, 25—33.
— 33. 34.	— - 20. 21.
— 51—53.	— 10, 34. 35.
— 54—57.	— 16, 2—4.
— 58. 59.	— 5, 25. 26.

de quibus inter se collatis vid. supr. p. 39. 41. 49. Accedunt vs. 39—46 = *Mt.* 24, 43—51, ubi consensus verbalis adest, paucis quibusdam exceptis: *Mt.* vs. 43: φυλακῇ. *L.* vs. 39: ὥρᾳ — *Mt.* vs. 48: συνδούλους. *L.* vs. 45: παῖδας κ. παιδίσκας — *Mt.* vs. 45: τροφὴν ἐν καιρῷ. *L.* vs. 42: σιτομέτριον — *Mt.* vs. 51: ὑποκριτῶν. *L.* vs. 46: ἀπίστων.

Restant, quæ *apud L. solum* reperiuntur: vs. 13—21. 32. 35—38. 47—50.

LIII.

Matth. 13, 1—23. Marc. 4, 1—25. Luc. 8, 1—18.

Parabolæ de satu seminum, explicatione addita, atque de candela accensa.

Mt., qui orationes contra Pharisæos vel de Pharisæis habitas ad tempora alia retulit, loco earum succedere fecit institutionem Jesu in magna discipulorum et populi undequaque confluentis corona per parabolas factam, tempore et loco accurate notatis: *eodem die*, quo Jesus hominem dæmoniacum sanaverat atque sanationem contra Pharisæos defenderat; quo facto *in ripam lacûs* Galilææ sese recepit, atque, ne populi confluxus sibi molestus fieret, navigium prope littus ingressus est. Eodem modo *M.* habet, Mt. secutus; neque *L.* repugnare dicendus est, qui neque de tempore neque de loco quidquam notavit; imovero, quia

Digitized by Google

tempus ipsi incertum erat, nonnulla in universum præmonuit de itineribus Jesu per urbes vicosque institutis, discipulis et mulieribus quibusdam comitantibus.

Parabolæ *de seminibus* membrorum et numerus et ordo idem apud omnes est; sed *Mt.* et *L.*, si singula inter se conferuntur, compluria aliter dicta habent:

L. alia brevius (vs. 6 coll. *Mt.* vs. 5), *alia* plenius habet (vs. 5 ad *σπείρειν* add. *τ. σπόρον αὐτοῦ* — ad *παρὰ τ. ὁδόν*: *καὶ κατεπατήθη*);

in *aliis* accuratior est: vs. 13: *πρὸς καιρὸν πιστεύουσι* (*Mt. πρόσκαιρός ἐστι*) — *ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται* (*Mt. γενομένης θλίψεως σκανδαλίζεται*);

in *aliis* Mt. perspicuitate cedit: vs. 6: *ἐπὶ τὴν πέτραν* (*Mt. ἐπὶ τὰ πετρώδη*) — vs. 12: *οἱ ἀκούοντες* (*Mt. ἀκούοντος κ. μὴ συνιέντος*);

locum Esaianum, a *Mt.* integrum descriptum (vs. 14. 15), a *M.* breviter adumbratum, *L.* omisit. Quæ apud *Mt.* exstant vs. 16. 17, *L.* alio loco (10, 23. 24) habet.

Marci in *parabola ipsa* proponenda tantus est singulorum etiam verborum *cum Mt. consensus*, ut nusquam major sit; in *rebus historicis* interjectis inque *explicatione* exhibita paulo liberius versatus est, *aliis* emendatis (*Mt.* vs. 11: *ἐκείνοις*, *M.* vs. 10: *τοῖς λοιποῖς*, *M.* vero vs. 11: *ἐκείνοις τοῖς ἔξω* — *Mt.* vs. 11 elliptice: *τοῖς λοιποῖς ἐν παραβολαῖς*, *M.* supplendo addit: *τὰ πάντα γίνεται*), *aliis* ex Mt. et L. compositis: *Mt.* vs. 19: *ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον ἐν τῇ καρδίᾳ*, *L. ἄιρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας*, *M. ἄιρει τὸν λόγον τὸν ἐσπαρμένον ἐν ταῖς καρδίαις.*

Not. in parabola formam *pluralem* in *Mt.* (*ἃ μὲν*, *ἄλλα δὲ*) apud *M.* et *L.* mutatam in *singularem* (*ὃ μὲν*, *ἄλλο δὲ*, *καὶ ἕτερον*), in explicatione parabolæ

Digitized by Google

vero formam *singulärem* in *Mt.* constanter adhibitam (ὁ δὲ, ὄντος), in *Mt.* et *L. pluralem* (οἱ δὲ, ὄντοι).

In parabola *de candela*, quæ apud *Mt.* in oratione montana repetitur 5, 15, formæ diversitas major est. *M.* per interrogationem eam proposuit, atque verbis μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται (*L.* οὐδεὶς λύχνον ἅψας), sensum luculentius indicavit. Nomen specialius μόδιον apud *Mt.* et *M.* adest, generalius apud *L.*, σκεύει.

Vs. 24 vero (ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε κ. τ. λ.), qui apud *Mt.* et *L.* alio loco et nexu legitur (7, 2.—6, 38), apud *M.* parum commode interpositus est, nisi forte verba aliter intellexerit: fructum institutionis ab attentione, quam quisque habeat, pendere *).

LIV.

Marc. 4, 26—29.

Parabola de seminatione et messe.

LV.

Matth. 13, 24—53. Marc. 4, 30—34. Luc. 13, 18—21.

Parabolæ de tritico et lolio, explicatione addita, de grano sinapis, de fermento, de thesauro atque de sagena.

Ex his omnibus nonnisi una, de grano sinapis, apud *M.* adest, apud *L.* eadem, cum altera de fermento conjuncta. Dubitari autem vix potest, quin *Mt.* parabolas ratione temporis diversas propter affinitatem argumenti h. l. conjunxerit; sed quum pleræque

*) Ex hac explicatione certe et studio nexum aliquem orationis efficiendi ortum est glossema, quod textus receptus exhibet: καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν.

Digitized by Google

apud reliquos haud reperiantur, neque de tempore quidquam effici possit (*L.* enim 13, 18 nihil habet nisi: ἔλεγε δὲ), ordinem a *Mt.* traditum servandum esse censemus, ne consilio evangelistæ in re prorsus incerta merum arbitrium præferre videamur.

Parabola de fermento *verbis iisdem* apud *Mt.* et *L.* legitur; prior de grano sinapis, quæ communis omnibus est, brevior apud *L.* prostat, eorum, quæ ad ornatum poeticum pertinent, pluribus omissis; apud *M.* autem ex reliquis duobus concinnata esse videtur; certe formula introductionis interrogativa (τίνι ὁμοίωσω) communis ei cum *L.* est, cum *Mt.* vero imago elegantius exornata. In hoc etiam *M.* epitomator *Mt.* apparet, quod, quum et parabolas multas et explicationem parabolæ a Jesu datam omisit, ipse omissionem factam indicavit vs. 33. 34: τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς . . κατ' ἰδίαν δὲ τ. μαθηταῖς ἐπέλυε πάντα.

Locus ex *Ps.* 78νο in epilogo ex more *Mt.* solito adductus est.

His dictis vero Jesus ex ripa lacûs in aliam (Galilææ) regionem digressus est, *Mt.* vs. 53: μετῆρεν ἐκεῖθεν.

LVI.

Luc. 13, 1—9.

Christus occasione cædis Galilæorum ad pœnitentiam exhortatur.

Narratio propter verba ἐν ἀυτῷ τῷ καιρῷ *) locum hic non immerito habet; verba etiam vs. 4 (πάντας ἀνθρώπους, τοὺς κατοικοῦντας ἐν Ἰερουσαλὴμ) facilius intel-

*) Vid. sect. 49 n. 2.

Digitized by Google

liguntur si statuimus Jesum extra urbem eo tempore versatum esse.

Parabola vero adjecta est, ne in verba: ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ἀπολεῖσθε, commentarius aliquis deesset.

LVII.

Luc. 13, 10—17.

Christus mulierem die sabbati sanat.

Quum nihil h. l. sit, unde de tempore quidquam definiri queat, subsistendum erit in ordine ab Evangelista indicato. Licet tamen suspicari, synagogam (vs. 10) fuisse in aliquo Galilææ oppido.

LVIII.

Matth. 15, 1—20. Marc. 7, 1—23.

Christus criminationem discipulorum ob manus illotas in capita Pharisæorum retorquet.

Quæ hic narrantur commodissime cum *sect.* 51*ma* cohærent, ut continuationem ejus adesse pæne dixeris; nam quod ibi Pharisæus aliquis occasione quadam neque nisi obiter in Jesu reprehenderat, id h. l. Pharisæi et Legisperiti Hierosolymitani, conjuratione quasi facta, graviter criminantur, de re utpote certa neminique ignota loquentes, imo sciscitantes, quo tandem jure discipulos legem contemnere doceret.

Exemplum memorabile adest *rei liberius a M. tractatæ;* nam in summo factorum dictorumque consensu diversitas rationis loquendi non exigua est:

Mt. vs. 2: παραβαίνουσι.	*M.* vs. 5: οὐ περιπατοῦσι κατὰ (quod in peccata omissionis melius quadrat).

Digitized by Google

Mt. vs. 3: διατί. . . .	*M.* vs. 9: καλῶς (ironice).
— - -: παραβαίνετε . . διὰ.	— - -: ἀθετεῖτε . . ἵνα τηρήσητε (aculeus antitheseos).
— vs. 4: ὁ θεὸς ἐνετείλατο.	— vs. 10: Μωσῆς εἶπε (ne lectores non - Judæi dubii hærerent).
— vs. 5: ὃς ἂν εἴπῃ . . καὶ οὐ μὴ	— vs. 11: ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος . . καὶ οὐκετι ἀφίετε αὐτὸν.
— vs. 5: τιμήσῃ . . .	— vs. 11: οὐδὲν ποιῆσαι (fortius).
— - 11: ὃν τὸ εἰσερχόμενον κοινοῖ.	— vs. 15: οὐδέν ἔξιν εἰσπορευόμενον, ὃ δύναται κοινῶσαι.
— vs. 15: ὁ Πέτρος . .	— vs. 17: οἱ μαθηταὶ (num Petro ipso corrigente?).
— - 16: ἀκμὴν . . .	— vs. 18: οὕτω (facilius).

Accedunt multa *a M. adjecta*, alia ut sensus planior lectoribus fieret, alia ut nervus orationis intenderetur. Ita de crebo lotionum inter Judæos usu annotatio vs. 3. 4 — verba usu recepta: κοιναῖς χερσὶν et κορβᾶν, explicatione addita (vs. 5. 11) — exempla alia Pharisæorum in rebus gravioribus negligentiæ (vs. 8) — vs. 14. 15. add. πάντα . πάντες — vs. 19 (Mt. εἰς τὴν κοιλίαν): οὐκ εἰς τὴν καρδίαν, ἀλλ' εἰς τ. κοιλίαν . . add. καθαρίζον πάντα τὰ βρώματα (emphatice opp. τῷ κοινοῦν) — varia vitiorum genera enumerata vs. 22.

Quæ apud *Mt.* leguntur vs. 12—14, *M.* omisisse videtur, ut parabolæ sua mox succederet explicatio;

Digitized by Google

sic quoque, ut disputatio de cibis impuris una serie prodiret, maluit verba Esaiæ, quibus apud *Mt.* filum orationis interrumpitur, ita transponere, ut initium loquendi ab iis fieret.

LIX.

Matth. 15, 21—28. Marc. 7, 24—30.

Christus mulieris Cananææ filiam sanat.

Nexus cum sectione superiore indicatur verbis: καὶ ἐξελθὼν (M. ἀναστὰς) ἐκεῖθεν, ἀνεχώρησεν. Videtur autem Jesus, quum in fines Phœnicum secederet, asylum quæsiisse, ut perpetuas Pharisæorum insidias ad tempus evitaret *); quare, ex quo ad lacum Galilææ iterum descendit, tutius habuit in regione transjordanensi (Decapolitana, M. vs. 31) subsistere.

M. breviter rem absolvit, narrationem de supplicatione mulieris succinctam faciens (vs. 25. 26), quam *Mt.* implorantem in scenam ipsam produxit vs. 22. 25. Sed, quum alia apud M. omissa sunt (*Mt.* vs. 23—25), alia aliter leguntur (*Mt.* vs. 23—25), notandum est, objectionem Jesu, utpote quæ attentione inprimis digna videretur, totidem iisdemque verbis in evangelio utroque expressam esse (Mt. vs. 26. M. vs. 27).

Nomina Χαναναῖα (*Mt.* vs. 22) et Συροφοίνισσα (M. vs. 26) *vel* ita differunt, ut unum mulierem indicet ex Cananæis, Palæstinæ ante Judæos incolis, oriundam, alterum eam in Phoenicia natam, *vel* ita, ut

*) Ostendunt enim verba Jesu (*Mt.* vs. 24.), evangelium inter Gentiles docere nondum ei propositum fuisse.

Digitized by Google

illud generalius, hoc specialius sit, quia Phoenices inter Cananæos numerati sunt *).

LX.

Marc. 7, 31—37. Cf. Matth. 15, 29—31.

Christus præter ægrotos multos hominem surdum et tardiloquum sanat.

Exemplum sanationis, quod *M.* solus nobis servavit, referendum tamen est inter ea, quæ *Mt.* loco eodem indicavit; afferuntur enim inter eos, qui a Jesu sanati sunt, κωφοὶ λαλοῦντες (*Mt.* vs. 31); et quod *Mt.* breviter enarrat: καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν Ἰσραήλ, idem est quod *M.* uberius vs. 31: καὶ ὑπερεκπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες κ. τ. λ.

Nexus apparet ex *Mt.* vs. 29: καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν — *M.* 31: ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου κ. Σιδῶνος. — *Locum M.* accuratius indicavit, regionem Decapolitanam ad lacum Galilææ.

Ipsa narratio vero a reliquis multis argumenti similis eo differt, quod singuli vocis, manuum, oculorum motus graphice describuntur: ἔβαλε τ. δακτύλους — πτύσας — ἥψατο τ. γλώσσης — ἀναβλέψας — ἐξέναξε.

LXI.

Matth. 15, 32—39. Marc. 8, 1—10.

Christus quatuor millia virorum cibo exiguo saturat **).

Narratio sponte superiori se ipsa adjungit; nam verba Jesu abrupte posita: σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τ. ὄχλον

*) *Gen.* 10, 15. *Jud.* 1, 31. Coll. *Exod.* 6, 15. 16, 35. *Jos.* 5, 12. *Job.* 41, 6, ubi οἱ ὁ nomina Cananæorum et Phönicum permutant. Cf. *Bochart* Phaleg p. 340.

**) *D. Schleiermacher.* argumentis ingeniosis authentiam hujus narrationis impugnavit, suspicatus, eam ex du-

Digitized by Google

(*Mt.* vs. 32) intelligi non possunt, nisi referantur ad vs. 30: προσῆλθον αὐτῷ ὄχλοι *); neque minus aperte ea, quæ de navigatione Jesu dicta sunt (*Mt.* vs. 39. *M.* vs. 10), respiciunt ad *Mt.* vs. 29, *M.* vs. 31: ἦλθε παρὰ τὴν θάλασσαν τ. Γαλιλαίας.

M. vero in nonnullis Matthæo accuratius ac diligentius scripsit; ita in vs. 3 glossema pro more solito *adjecit*: τινὲς γάρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι — in vs. 4 interrogationem *Mt.* (πόθεν ἡμῖν ἄρτοι τοσοῦτοι;) *emphatice* mutavit: πόθεν τούτους δυνήσεταί τις χορτάσαι; in cibatione describenda panes et pisces consulto *distinxit* (vs. 5. 7); — nomen denique Δαλμανουθά, quod positum est pro Μαγδαλά apud Mt., sine dubio *specialius* est, vicus pro oppido cum castello vicino, in littore lacus Galilæi orientali.

LXII.

Matth. 16, 1—12. Marc. 8, 11—21. Cf. Luc. 12, 54—56.

Christus Phariscæos signum de cœlo postulantes increpat, deque fermento eorum cavendo monet.

Pharisæi et Sadducæi (quos *M.* omisit vs. 11, sic vero ut deinde vs. 15 nomen Herodis adderet, Christo infesti), ex quo Jesus ad fines Galilææ propius rediit

---

plici rei ejusdem relatione ortam esse ideoque referendam ad sect. 43 (über d. Schr. d. L. S. 137 f. cf. *Saunier* l. l. p. 104—6). Hoc quidem loco monere sufficiat, Mt. et M. alio deinde loco utramque narrationem verbis disertis distinxisse: *Mt.* 16, 9. 10. *M.* 8, 19. 20.

*) *M.*, qui in sect. superiore de uno tantummodo homine sanato mentionem fecerat, h. l. necesse habuit nonnulla exordii loco præmittere: ἐν ἐκείναις τ. ἡμέραις παμπόλλου ὄχλου ὄντος.

Digitized by Google

(*Mt.* 15, 39), iterum accedunt ore perfido et impudenti eum vexantes. *Nexus* autem cum sect. superiori apparet ex *Mt.* vs. 11, *M.* vs. 20.

M. hic etiam *partes emendatoris* egisse videtur: quod apud *Mt.* vs. 5 brevius dictum est: ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ εἰς τὸ πέραν, accuratius habet vs. 13: ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν κ. τ. λ. — verba *Mt.* vs. 5: ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν, urgendo adauget vs. 14: καὶ εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ' ἑαυτῶν — *Mt.* vs. 7: διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς corrigit vs. 16: δ. πρὸς ἀλλήλους — constructionem *Mt.* vs. 9. 10 resolvendo faciliorem reddit. Sed, quod magis mirandum, quum in *verbis Jesu*, iis inprimis, quibus gravissimum est orationis pondus et momentum, conspirare solent, in hac sect. *M.* non uno loco a *Mt.* recedit, ut non solum in vs. 18 addantur quædam, quæ apud Mt. desunt, sed ea etiam, quæ apud eum insignem habent aculeum (vs. 3. 4), omittantur paucis quibusdam substitutis, quæ sensum communem tantummodo indicant.

Quæ apud *L.* leguntur *alio loco*, c. 12, 54—56, alia quidem exempla habent (τ. νεφέλην. τ. ὄμβρον), neque improbabile, Jesum sæpius ad comparationes easdem ex rebus obviis petitas recurrisse. Sed quum applicatio omnino eadem sit (τὸ πρόσωπον τ. οὐρανοῦ - τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν διακρίνειν s. δοκιμάζειν), verba autem abrupta omnique nexu destituta apud L. legantur, recte videntur ad locum *Mt.* et nexum quem exhibet historicum revocanda.

LXIII.

Marc. 8, 22—26.

Christus homini coeco visum restituit.

"Καὶ ἔρχεται εἰς Βηθσαϊδάν". — vid. sect. 61ma vs. 13: ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν, h. e. relicta regione Magdalensi, in littus ei oppositum o: occidentale.

Digitized by Google

Evangelista hîc, ut in sect. 59na, sanationem non tam verbis descripsit quam pingendo oculis admovit: ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς — ἐξήγαγεν αυτὸν — πτύσας εἰς τὰ ὄμματα — ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας — πάλιν ἐπέθηκε τ. χεῖρας *).

LXIV.

Matth. 16, 13—28. Marc. 8, 27—9, 1. Luc. 9, 18—27.

Christus, accepto discipulorum de se judicio, passionem prædicit et constantiam fidei exhortatur.

L., hiscente inde a sect. 57ma lacunâ, filum narrationis stylo hæsitante et incerto h. l. recepit, sine ullo loci vel temporis indicio (καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι ἀυτὸν προσευχόμενον καταμόνας); *Mt.* et *M.* autem, quum locum definiunt τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου, *iter continuatum* indicant, de quo in sect. 61ma et 62da sermo fuerat. Et alio quoque respectu haud difficile est, *nexum* cum sect. 59na et 61ma indicare; nam in tanta opinionum de se diversitate, quum alii sive superstitione sive admiratione commoti eum prophetam vel adeo Messiam esse credebant, alii, licet rectius sine dubio videntes, præfracte negabant, necessarium certe erat animos discipulorum huc illuc fluctuantes verum docere. Tum vero, quæ h. l. traduntur singula *nexu interno* aptissime cohærent; nam Jesus, ex quo discipulos dignitatem suam Messianam palam profitentes audivit, necessarium duxit mortem sibi propositam aperte nuntiare, ut ab exspectatione futili regni Messiani animi avocarentur.

*) Cf. *Saunier* l. l. p. 106. s.

Digitized by Google

In *dictis Jesu* referendis tantus est trium commentariorum *consensus*, ut verba tantum non omnia eadem eodem loco reperiantur (cf. *Mt.* vs. 13. 15. 21. 23. 24—26. 28. *M.* vs. 27. 29. 31. 33—36. 9, 1. *L.* vs. 18—20. 22—25. 27). Sed *non omnia omnibus communia* sunt: locus gravissimus, quo Jesus in laudes Petri excurrit, apud *Mt. solum* exstat vs. 17—19 (reliqui forsitan omiserunt, jam eo tempore verentes, ne sinistre de primatu aliquo Petri explicarentur); — acerbam in Petrum increpationem (*Mt.* vs. 22. 23. *M.* vs. 32. 33) *omisit Lucas*, modestia et pudore, quod suspicari liceat, retentus, quum Marco, jubente fortasse Petro ipso, tacere non licuit; — verba: *ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα* .. (*Mt.* vs. 26. *M.* vs. 37) *desunt apud L.* — denique verba *ὃς ἂν ἐπαισχυνθῇ* .. (*M.* vs. 38. *L.* vs. 26) *apud Mt. desiderantur.*

Singula quod attinet, alia invenimus *Mt. propria* (nomen Jeremiæ vs. 14. — vs. 16: *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.* — vs. 22 verba Petri: *ἵλεως σοι, κύριε*), alia *apud L. distinctius* et clarius posita: vs. 22: *παθεῖν καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων* (Mt. *παθεῖν ἀπὸ τ. πρεσβ.*) — vs. 23 add. *καθ' ἡμέραν* — vs. 24: *σώσει τὴν ψυχὴν* (Mt. *εὑρήσει τ. ψ.*) — vs. 27: *ἕως ἄν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* *) (Mt. *ἕως ἄν ἰ. τὸν υἱὸν τ. ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ*).

---

*) Eodem modo verba apud *M.* leguntur, sensum, qui in verbis Mt. obscurior est, ratione contextus habita unice verum optime illustrantia: de primordiis ecclesiæ Christi jamjam condendæ. Ita namque ex usu loqu. N. T. Christus dici utique potuit *ἔρχεσθαι ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ* coll. *L.* 17, 20. 21. *Joh.* 14, 18. 19. 23. 16, 16. 22. *Calvin.* harm. evv. p. 262: "Adventum regni Dei intellige gloriæ cœlestis manifestationem, quam a resurrec-

Digitized by Google

In his fere omnibus *Marcus* secutus *L.* est, in aliis autem locis *Mt.*, ubi eum pleniorem vel accuratiorem esse videbat: vs. 28: ἵνα τῶν προφητῶν (*L.* ὅτι προφ. τις ἀνέστη) — vs. 36: τὴν ψυχὴν αὐτοῦ (*L.* ἑαυτὸν) — vs. 38: ἐν τῇ δόξῃ τ. πατρὸς, μετὰ τ. ἀγγέλων (*L.* ἐν τ. δ. αὐτοῦ καὶ τ. πατρὸς καὶ τ. ἀγγέλων); in aliis locis *utrumque conciliandi studium* apparet: ita *Mt.* vs. 20: διεστείλατο . . ἵνα μηδενὶ εἴπωσι. *L.* vs. 21: ἐπιτιμήσας παρήγγειλε μηδενὶ λέγειν, *M.* vero vs. 30: ἐπετίμησεν, ἵνα μηδενὶ λέγωσι — *Mt.* vs. 24: εἶπε τοῖς μαθηταῖς, *L.* vs. 23: ἔλεγε πρὸς πάντας, *M.* vs. 34: προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς, εἶπεν αὐτοῖς. Neque tandem *additamenta* subinde desunt, ut sensus verborum luculentior fiat: vs. 32 add. καὶ παῤῥησίᾳ τ. λόγον ἐλάλει — vs. 35 add. καὶ τοῦ εὐαγγελίου — vs. 38 add. ἐν τῇ γενεᾷ . . ἁμαρτωλῷ — vs. 9, 1 add. ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.

LXV.

Matth. 17, 1—13. Marc. 9, 2—13. Luc. 9, 28—36.

Transfiguratio Christi in monte.

Tempus ab omnibus fere idem indicatur: Mt. M. μεθ' ἡμέρας ἕξ, *L.* ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ, præterea vero *nexus* narrationis cum ea quæ præcedit apparere videtur ex *L.* vs. 32: ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ· quæ respicere videntur auguria mortis, quæ in sect. 63ᵗⁱᵃ Jesus exhibuerat discipulis.

In visione ipsa (Mt. vs. 9: τὸ ὅραμα) describenda *Mt.* simplicitate historica usus est, *L.* vero (eumque *M.*

---

tione auspicatus est Chr., et plenius deinde Spiritum S. mittendo et mirificas edendo virtutes, exhibuit."

Digitized by Google

ex parte secutus) nonnulla subinde habet, quibus dixeris eum veram rei naturam innuere voluisse *); monet enim, discipulos somno jacuisse obrutos (vs. 32: ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ), imovero, etiam postquam expergefacti fuerint, dum loquebantur sui præ metu haud compotes consciosque fuisse (vs. 33, M. vs. 6: μὴ εἰδὼς ὁ λέγει· ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι), voce denique coelesti audita (*L.* vs. 36: ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνήν), quum oculos subito circumferrent (M. vs. 8: ἐξάπινα περιβλεψάμενοι), neminem eos præter Jesum vidisse (*L.* vs. 36, *M.* vs. 8).

Nonnulla apud *L.* aut *nova* accedunt aut *aliter* leguntur, ex quibus *Mt.* et *M.* commode suppleri vel illustrari possunt: vs. 28 add. προσεύξασθαι (*Mt. M.* κατ' ἰδίαν) — vs. 29: ἐγίνετο τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον (Mt. M. μετεμορφώθη) — vs. 34: add. ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην. Alia vero apud eum desiderantur, quæ aut *Mt.* propria sunt (vs. 6. 7), aut ei cum *M.* communia (vs. 9—12).

Ex his jam intelligitur, *Marcum* accuratius *Mt.* quam *L.* secutum esse, plerumque in singulis etiam verbis; pauca uti solet ad explicationem *addidit*: exemplum fullonis vs. 3, observationem de discipulis vs. 10. In vs. 12 et 13 autem, ordine verborum mutato, nexus orationis, qui apud *Mt.* apte et facile fluit, durior et difficilior factus est.

Consensus trium evangelistarum verbalis adest in quæstione discipulorum de tabernaculis tribus exstruendis atque in voce coelesti referenda.

*) Cf. *Schleiermacher* über d. Schr. d. L. S. 142. 147—49.

Digitized by Google

LXVI.

Matth. 17, 14—21. Marc. 9, 14—29. Luc. 9, 37—43. 17. 5. 6.

Christus hominem lunaticum sanat.

Sectio hæc cum superiore *proxime conjungenda* est, quoniam discipuli, dum aberat in monte Jesus, dicuntur hominem sanandi periculum fecisse (*Mt.* vs. 16, *M.* vs. 18, *L.* vs. 40); quid! quod *tempus* accurate *L.* definivit: *ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.*

Narrationem *longe plenissimam M.* exhibuit, qui, *neutrum secutus*, non solum de origine et natura morbi deque ratione sanationis — in quibus describendis accuratissimus esse solet, cf. sect. 59. 62 —, verum etiam de aliis rebus minoris momenti *plura solus narravit* (vs. 14: *γραμματεῖς συζητοῦντας*, vs. 15: *προστρέχοντες ἠσπάζοντο*).

Postea vero, in verbis, quibus Jesus defectum fidei in discipulis reprehendit *), *brevior* et per brevitatem *obscurior* est; nam quæ retinuit: illud dæmonum genus non sine precibus et jejunio (h. l. non sine fide ardente, qualem per preces et jejunium efficere solebant) expelli posse — explicationem habent ex iis, quæ præcedunt; a M. vero omissa sunt: *διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν κ. τ. λ.* Hæc quidem verba h. l. apud *L.* desunt, sed reperiuntur c. 17, 5. 6 (exemplo montis tamen mutato in sycomorum). Præcedit quidem in illo loco petitio discipulorum *πρόσθες ἡμῖν πίστιν*· sed hæc ipsa petitio, abrupte, sine

*) D. *Schleiermachero* verba *ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη*, quæ discipulis nimis duriter dicta videri possent, referenda videntur ad legisperitos, qui adstabant in numero populi: *M.* 9, 14: *ὄχλον πολὺν κ. γραμματεῖς συζητοῦντας.*

Digitized by Google

omni occasione historica posita, miro modo ibi offendit, sed h. l. ex increpatione Christi (*διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν*) egregie illustratur, ut non dubitemus verba ista ad narrationem nostram referre, inprimis quum in illo cap. *L.* plura dictorum fragmenta collecta esse videantur.

Mt. et *L.* eodem fere passu procedunt, ita tamen, ut hic in ipsa sanationis historia subsistat, omisso colloquio Jesu et discipulorum, quod *Mt.* et *M.* addiderunt. Magna quoque est in rebus iisdem enarrandis *verborum varietas*: sic, ut hoc utar, indicia morbi, quamquam ejusdem generis, ab aliis alia afferuntur: *Mt.* *σεληνιάζεται . πίπτει εἰς τὸ πῦρ κ. εἰς τὸ ὕδωρ* — *M.* *πνεῦμα ἄλαλον κ. κωφὸν. ἁρπίζει . τρίζει τ. ὀδόντας . ξηραίνεται* — *L.* *σπαράσσει ἀυτὸν μετὰ ἀφροῦ κ. τ. λ.*

In tanta vero styli diversitate, *verba Jesu* (*Mt.* vs. 17, *M.* vs. 19, *L.* vs. 41) eodem omnino modo apud omnes se habent.

Not. Apud *Mt.* Jesus verbis se convertit ad *hominem*, qui a dæmone credebatur obsessus (vs. 18), apud *M.* et *L.* ad *dæmonem ipsum* (vs. 25. 42); quia dæmoniaci non sui juris esse putabantur, sed ex nutu arbitrioque dæmonum nihil non loqui et agere. Cf. Mt. 8, 29. 31 coll. M. 5, 7. 10.

LXVII.

Matth. 17, 22. 23. Marc. 9, 30—32. Luc. 9, 43—45.

Christus mortem suam discipulis prædicit.

Nexum cum sect. 65ma *L.*, quamquam neque de tempore neque de loco quidquam habet, indicavit formulâ transeundi: *πάντων δὲ θαυμαζόντων ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίει.* Redeunt autem Jesus et discipuli in Galilæam.

Digitized by Google

(*Mt.* ἀναστρεφόμενοι), idque sic ut, *relicta regione septentrionali* Cæsareensi (*M.* ἐξελθόντες ἐκεῖθεν. ref. ad 8, 27, sect. 63), neque tam in Galilæa commorantes, quam eam transeuntes (*M.* παρεπορεύοντο διὰ τ. *Γαλ.*), *partem meridionalem* itinere petant.

Mt. et *L.* supplementum unus alteri afferunt; *L.* enim *passionis* tantummodo prædictionem habet, *mortis et resurrectionis* nulla facta mentione, (num fortuito an consulto, quis definierit?); hæc commemoravit *Mt.*, sed quum ex *L.* videmus discipulos neque sensum verborum intellexisse neque etiam percontari ausos fuisse, *Mt.* non tam silentio hoc præteriit, quam contrarium affirmavit; habet enim: καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα· tristitia vero ex verbis non intellectis haud facile oritur.

In hac evangelistarum duorum diversitate *M.* videmus *mediatorem* agentem; nam plenam passionis et mortis et resurrectionis prædictionem *ex Mt.* habet, *ex L.* vero hæc: ὁι δὲ ἠγνοουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβοῦντο αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

LXVIII.

Matth. 17, 24—27.

Christus, statere in ore piscis invento, tributum solvit.

Dominum et discipulos, quos in sect. præcedente habuimus ἀναστρεφόμενους ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ (Mt. vs. 22), h. l. videmus ἐλθόντας εἰς Καπερναοὺμ (vs. 24).

LXIX.

Matth. 18, 1—14. Marc. 9, 33—50. Luc. 9, 46—50. 17, 1. 2.

Christus exemplo infantis modestiam discipulis commendat, deque scandalis evitandis loquitur.

Locus et tempus idem est ac in sect. superiore, ex *M.* vs. 33: καὶ ἦλθεν εἰς Καπερναούμ, καὶ ἐν τῇ

Digitized by Google

οἰκίᾳ γενόμενος. *Occasionem* vero infantis advocati et coram propositi *Mt.* parum accurate indicavit; nam quomodo credibile est, discipulos interrogationem ex ambitione inepta ortam Domino proponere ausos fuisse quid! quod, etiam quam Jesus rem sciscitatus est, *M.* eos pudore obmutescentes ostendit (vs. 34: οἱ δὲ ἐσιώπων). *L.* vero et *M.* inprimis, tempore bene distinguentes, ita rem describunt, ut *in itinere* inter eundum mota fuerit inter discipulos quæstio de primatu in regno messiano, et cupide agitata, deinde vero, quum *domum* pervenerit, Jesus vanitatem disputationis per actionem symbolicam speculo quasi ostenderit.[1]

In exemplo infantis adducti vs. apud *Mt.* 3^tius^ apud *M.* 10, 15 et *L.* 18, 19 alia occasione exstat; objectio autem Johannis de viro, qui dæmones ejecerit nomine Jesu, a discipulis vero prohibitus fuerit (*M.* vs. 38. 39. *L.* vs. 49. 50) deest apud *Mt.* Hanc quidem *M. ex L. recepit*, nonnullis etiam adjectis (ita ad verba: ὃς οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστι, explicatio adest; οὐδεὶς γὰρ ἔστιν — κακολογῆσαι με), sed *parum apte* eam ita interposuit, ut narratio prior interrupta in duas partes dissecaretur; nam vs. 41 ratione argumenti ad vs. 37^m^ referendus est (cf. *Mt.* 10, 42).

Quæ sequuntur inde a *Mt.* vs. 7. et *M.* vs. 42 (simillima ex parte iis, quæ superiore loco exstant apud Mt. 5, 29. 30), nexu aptissime cohærent; singula enim per gradationem aliquam se invicem excipiunt; commendata virtute humilitatis, ne unus super alterum ambitiose se efferret, jubentur commodo mutuo operam pie impendere, primum (Mt. 6—11) ne malo exemplo aliis præeant *), deinde (vs. 12—14), ut errantes in

*) Monuit quidem cel. Paulus (Comm. II p. 682), vs. 8 et 9 cum vs. 6 et 7mo conjungi non posse, in his enim de

Digitized by Google

viam meliorem reducant. Melius itaque ad hunc locum referuntur, quæ de scandalis evitandis apud *L.* *alio loco* (17, 1. 2), brevius et sine nexu idoneo, leguntur; imago pastoritia quoque (vs. 12. 13) apud *L.* alia quidem occasione exstat (15, 4—6); sed quum applicatio non omnino eadem sit, tum vero nihil obstat, quo minus frequentior ejusmodi imaginum usus in orationibus Jesu admittatur.

In his omnibus *M.* *commentarium in Mt.* dedisse videtur; pro *συμφέρει* habet *καλόν ἐϛι μᾶλλον* — pro *μύλος ὀνικὸς*, *λίθος μυλικὸς* — quæ de scandalo per manum et pedes apud Mt. conjuncta leguntur, M. in duo membra resolvit, eadem verba triplici vice repetens — *τὸ πῦρ τὸ ἀιώνιον* uberius explicat: *τὴν γέενναν, τὸ πῦρ τὸ ἄσβεϛον, ὁπου ὁ σκώληξ κ. τ. λ.*

Verba vero vs. 49. 50 h. l. aprosdionysa, sine dubio nexu suo evulsa sunt, aliorsum referenda. Cf. *Mt.* 5, 13. *L.* 14, 34 *).

---

scandalo aliis non præbendo sermonem esse, in illis vero de scandalo nobis fugiendo, ideoque statuendum, Mt. (eumque secutum M.) nomine scandali adductum esse, ut locum alius prorsus argumenti huc transcriberet. At enimvero nexus ni fallor aptissimus adest: "Nihil, inquit, magis timendum est quam scandalum aliis præbere. Id ex vobis ipsi discite et videte. Præstaret enim res pretiosissimas quasque abjicere, quam eorum illecebris ad peccandum seduci; quid igitur inhonestius et turpius, quam si vos ipsi peccandi auctores aliis existatis!"

*) Cf. *Saunier* l. l. p. 114.

Digitized by Google

LXX.

Matth. 18, 15—34. Cf. Luc. 17, 3. 4.

Christus animum clementem et placabilem commendat atque parabolâ illustrat.

Quum *tempus et locus* orationis hujus habitæ dissertis verbis non indicetur, in ordine, quem *Mt.* tenuit, manendum erit, eoque magis, quod *nexus interno* aptissime — per climacem — iis sese adjungit, quæ de scandalis monita erant: non solum cavendum esse, ne culpâ nostrâ aliis peccandi ansa præbeatur, verum, si qua in re forte peccaverint, animum ad condonandum propensum esse debere.

Quæ apud *L.* inveniuntur c. 17, 3. 4 abrupte et concise posita, ut eorum, quæ *Mt.* longa accurataque narratione exposuit, summam brevem exhibeant, ad hunc locum commodius trahuntur; nam partem priorem cap. 17^mi^ Lucæ compositam esse ex pluribus orationum diversarum fragmentis, jam monuimus in sect. 65^ta^, cf. infra sect. 71^mam^.

C.

Inde ab itinere ad festum Tabernaculorum Hierosolymam facto usque ad passionem Christi.

(s: fere VII menses).

Observationes chronologicæ.

Perventum nobis eo est, ut ad iter Hierosolymitanum aliud paratum susceptumque narratio transeat.

Digitized by Google

Ita in tribus singulis evangeliis: *Mt.* 19, 1. *M.* 10, 1. *L.* 9, 51.

Sed quæstio oritur: *num itinera diversa* intelligenda sint, *an unum idemque iter*, et quodnam, quo tempore susceptum? De his paulo accuratius agendum erit.

1. Adspectu primo videri posset in omnibus iter ante mortem Jesu proximum, ad festum paschale, intelligendum, ita ut tres evangelistæ silentio præterierint, quidquid per annum fere dimidium evenerit, ipsum vero iter ultimum, a *Mt.* et *M.* breviter commemoratum, accurata narratione *L.* describatur. Hanc explicationem quum verba *L.* svadere videntur: ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ (9, 51), quæ ad tempus ante passionem proximum facillime referuntur, tum hoc præsertim, quod in *L.* per longam narrationum seriem nulla diversorum itinerum distinctio adest, apud *Mt.* et *M.* autem hoc ipsum iter narratione continua jungitur cum ultimo eoque solenni introitu Hierosolymitano (*Mt.* 20, 17. 21, 1. *M.* 10, 32. 11, 1).

2. At fatendum tamen est, argumenta quæ sufficiant nondum adesse. Nam in evangeliis, quorum narratio ad mortem Christi et quæ eam sequebatur gloriam festinat, inque momentis temporis definiendis parum accurata est, formula illa ἐν τῷ συμπλ. τ. ἡμέρας τ. ἀναλ. αὐτοῦ explicari certe potest de tempore omni ad passionem propius accedente neque procul adeo ab ea distante, inprimis quum Jesus in quovis itinere Hierosolymitano periculo vitæ gravissimo obviam iret. Multo minus vero quidquam inde efficitur, quod distinctio itinerum verbis disertis nusquam facta est; nam evangelistæ, qui rationes temporis nullas omnino magni

Digitized by Google

faciunt, itinera Jesu accuratius notare minime solent; cujus rei exempla vidimus silentium primi itineris paschalis (p. 14 n. 2), et itineris ad festum Purim (p. 53).

3. Neque hoc solum, sed ratio itineris, de quo loquimur, ita in evangeliis describitur, ut ultimum illud paschale nullo modo intelligi possit. In eo enim omnia consentiunt, iter *ex Galilæa* inchoatum esse; *Mt.* id verbis disertis affirmat 19, 1: *μετῆρεν ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τ. Ἰουδάιας*· apud *M.* narratio itineris incipit a verbis *κἀκεῖθεν ἀναστὰς ἔρχεται εἰς τ. ὅρια τ. Ἰουδ.* (10, 1), *ἐκεῖθεν* autem propter narrationem quæ præcedit (9, 33: *καὶ ἦλθεν εἰς Καπερναούμ*) intelligi nequit nisi *ἐκ τῆς Γαλιλαίας*· *L.* denique (9, 52 ss.) auctor nobis est, Jesum, ut in Judæam transiret, per Samariam iter facere voluisse, unde sequitur, eum ex finibus Galilææ exiisse. Ita vero iter indicatur *diversum ab ultimo paschali*, quoniam ex *Joh.* constat, menses inter festa Encæniorum et Paschatis Jesum, in Galilæam non reversum, transegisse in regione jordanensi, in Peræa, prope oppido Ephraim (10, 40. 11, 54), unde accedente festo paschali Hierosolymam cum discipulis adscenderit (11, 55). Sic igitur distinguere jubemur *iter ultimum ex Peræa* factum, quod in *Mt.* 20, 17, *M.* 10, 32 s., *L.* 18, 31 indicari videtur, et *aliud tempore prius ex Galilæa*, de quo *Mt.* 19, 1, *M.* 10, 1, *L.* 9, 51.

4. Tum vero, ut in iis subsistamus, quæ a *L.* ante iter ultimum paschale facta gestaque esse narrantur, in serie narrationum, quæ continentur inde a 9, 51 usque ad 18, 31, plures adsunt loci, in quibus mentio itineris alicujus fit: 9, 51.—13, 22.—17, 11. Neque tamen diffitendum est, ex verbis ipsis *diversitatem itinerum* nondum effici posse, quum dixerit forsan aliquis,

Digitized by Google

varia momenta itineris unius intelligenda esse. Quid! quod videri etiam posset *successio temporis* aliqua obscurius indicari; etenim c. 9, 51: τὸ πρόσωπον ἀυτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσ. de *præparatione* itineris et initio primo intelligi possunt, c. 13, 22: πορείαν ποιούμενος εἰς Ἱερουσ. de itinere *continuato*, c. 17, 11: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι ἀυτὸν εἰς Ἱερουσ. multo minus de itinere novo explicari possunt, quum rationem itineris jam ex superioribus cognitam præsupponant, neque repetita esse videntur, nisi ut locus (in confinio Samariæ et Galilææ), in quo viri decem a lepra purgati fuerunt, accuratius constaret *).

5. Verum enimvero ne per se quidem probabile est, *Lucam*, si plura itinera Jesu indicare voluisset, verbis disertis ea distincturum fuisse — hanc enim acribeian a ratione scribendi ejus alienam esse nemo ignorat. Neque hoc solum, sed si rationem omnino, qua singulæ apud *L.* narrationes inter se cohæreant, una alteram excipiente, respicimus, argumentum ponderis majoris efficitur. *Primum* enim – postquam *L.* narravit c. 9, 51, Jesum itineris Hierosolymitani consilium cepisse, nonnullis interjectis, c. 10, 38 eum hospitio fruentem videmus in vico, ubi habitabant Martha et Maria, i. e. ex *Joh.* 11, 1 *Bethaniæ, oppido Hierosolymæ vicino* **). *Deinde* – ubi secunda vice itineris Hierosolymitani mentionem facit (c. 13, 22), accedit narratio (10, 31 ss.) de perfido Pharisæorum consilio: ἔξελθε καὶ πορεύου ἐντεῦθεν· ὅτι Ἡρώδης θέλει σε ἀποκτεῖναι, unde sequitur, Jesum ante iter

*) Vid. *Bengel.* harm. evv. ad h. l. p. 387.

**) Vix aliquis enim cum *Bengelio* l. l. p. 393 binas sorores alias in Galilæa habitantes intellexerit.

Digitized by Google

susceptum *in Galilæa vel Peræa*, quæ imperio Herodis subjecta erat, commoratum esse. *Denique*, quum vix dubitari possit, quin c. 17, 11 ad c. 13, 22 ita referendum sit, ut iter idem describatur, verba διήρχετο διὰ μέσον Σαμαρ. καὶ Γαλιλ. docent, Jesum *ex Galilæa profectum* urbem petiisse.

6. Quodsi dixeris, hæc omnia ad unum iter referenda esse, habebis itinerarii fragmenta mira et prorsus incredibili negligentia inter se conjecta et turbata, ut *initium itineris in medio narrationis cursu triplici vice repetatur*. Sed tantæ negligentiæ quum neque in Evangelio neque in Actis Apostolorum exemplum monstrari possit, non solum pietati melius convenire, sed ad veritatem etiam propius accedere videtur, si *itinera duo ante iter ultimum* admittantur, *unum* in c. 9, 51, *alterum* in c. 13, 22; — nam verba c. 17, 11 certe non iter novum indicare, sed ad prius nominatum attentionem revocare videntur, ut narrationi, quæ justo tempore omissa fuerat, locus commodus pararetur.

7. Et ita quidem sese rem habere probabile credo censebit, quisquis solos etiam commentarios *Lucæ* oculo attento perlustraverit. Restat autem ut Evangelium *Johannis*, ex quo rebus chronologicis obscuris et impeditis haud parum lucis sæpius affunditur, evolvamus. In hoc autem inter iter ad festum Judæorum (de quo vid. pag. 53) et iter ultimum paschale, de quo infra agendum erit, *duo* invenimus *itinera* notata: unum *ad festum Tabernaculorum* c. 7, 2. 10, alterum *ad festum Encæniorum* c. 10, 22. 23. Tantum vero consensum quis fortuito adesse dixerit, aut quis nimium evangelia inter se conciliandi studium reprehenderit, si contendimus, quod ex locis Lucæ obscu-

Digitized by Google

rioribus verisimile visum fuerit, clariori Johannis testimonio egregie confirmari, ut *itinera duo eadem* credamus *ab utroque notata*, iter ad festum Tabernaculorum *L.* 9, 51, ad festum Encæniorum *L.* 13, 22 *).

8. Superest quæstio ab initio proposita: ex duobus his itineribus *utrum a Mt.* (c. 19, 1) *et M.* (c. 10, 1) *indicatum sit.* Rationem itineris descripserunt *Mt.* l. l.: *μετῆρεν ἀπὸ τῆς Γαλιλ., καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας πέραν τ. Ἰορδάνου*, et *M.* l. l.: *ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τ. Ἰουδ. διὰ τοῦ πέραν τ. Ἰορδ.*, h. é. ex Galilæa profectus, Jordanem transiit et per Peræam in Judæam descendit, finibus Samaritanorum evitatis **). Hoc vero in iter apud *L. secundum* egregie quadrat, cujus ratio ita indicatur (c. 17, 11), ut Jesus inter utramque Samariæ ac Galilææ provinciam (*διὰ μέσον Σαμαρ. κ. Γαλιλ.*) ***)

---

*) Ita *Chemnit.*, *Cleric.*, *Storr.* (l. l. p. 337, 40, 44), inprimis vero, qui accuratius rem investigarunt, *Rus.* (harm. ev. II p. 304 s. 332 s.) et *Hug.* (Einl. II S. 166 s. 239). — Eandem rationem cel. *Paulus* secutus est, sed miro modo ordinem narrationum invertit, ut L. 13, 22 ad iter prius et festum Tabernac. referat, c. 9, 51 ad iter posterius festumque Encæn. (Comm. II p. 388. 395. d. Leben Jesu I p. 388. II p. 27 f.).

**) Ad paradoxiam insignem in his verbis explicandis cel. *Paulus* delapsus est, qui verba ita dissecuit, ut *priora* quidem *μετῆρεν ἀπο τ. Γαλιλ. ad iter* Iesu Hierosolymit. festo Encæniorum ex Galilæa factum referat, sed *posteriora καὶ ἦλθεν εἰς τ. ὁρια τ. Ἰουδ. ad reditum*, festo finito, Hierosolymâ in Peræam, Joh. 10, 40 (Comm. II S. 398 f. 778 f. d. Leben J. II p. 45).

***) Cf. *Wetstein.* N. T. ad h. l.: "Non via recta et brevissima a septentr. versus meridiem per Samarit. regionem iter fecit, sed, quum ad confinia Samariæ et Galilææ venisset, ab itinere deflexit versus orientem, ita ut

Digitized by Google

i. e. Orientem versus in Peræam abierit. Accedit, quod ea quæ apud *Mt.* et *M.* de illo itinere narrantur: infantes a Jesu receptos, et Jesum cum adolescente divite collocutum esse, a *L.* (c. 18, 15—30) referuntur ad iter secundum *).

9. In omnibus iis, quæ narrantur apud *L.* inde a c. 9, 51, neque Galilææ neque lacus Tiberiadis, Capernaumi vel alicujus oppidorum ejus nomen commemoratur; quare, quum in superioribus *L.* res narratas ad varia Galilææ loca satis accurate retulerit, suspicari licet, ista omnia (exceptis c. 9, 51—10, 36 atque c. 13, 22—35) *extra fines Galilææ*, *in ipsis itineribus* per Peræam et Judæam institutis evenisse. Hoc igitur animo grato Lucæ acceptum feramus, quod itinerum, rebus memorabilibus abundantium, de quibus paucissima tres reliqui evangelistæ tradiderunt, descriptione longa et accurata gaudemus.

Quonam ordine vero res una alteram exceperit, de eo nihil fere in hac evangelii parte constitui potest; quoniam locorum nomina ubique desunt, formulæ au-

---

Samariam ad dextram, Galilæam ad sinistram haberet." Aliter, sed si quid video durissime, explicavit cel. *Paulus*, qui statuit ab hoc inde loco iter ultimum incipiendum esse, quo Jesus ab oppido Ephræm Hierosolymam profectus est: nim. Jesum, quod festum Paschatis adhuc remotius esset, non via proxima urbem petiisse sed septentrionem versus profectum, primum Samariæ deinde Galilææ partem aliquam transiisse (Comm. II p. 403).

*) Utromque tamen Mt. et M. locum multi ad iter ultimum paschale referre maluerunt (*Osiand.*, *Chemnit.*, *Cleric.*, *Rus.*, *Bengel.*), alii vero ad iter prius a L. indicatum (*Storr.* l. l. p. 336).

Digitized by Google

tem, quibus ab una narratione ad alteram transitur, ita compositæ sunt, ut nexus inde nullus appareat. Ita, quum indiciis idoneis destituti sumus, operâ criticâ nihil fere, nisi ad merum arbitrium rem revocare velis, effici potest; quare nobis — si a paucis locis discesseris — ordo quem Evangelista tenuit retinendus erit.

* * *

1.

Iter Hierosolymam ad festum Tabernaculorum susceptum, atque res in ipso festo actæ.

LXXI.

Joh. 7, 2—10.

Christus, comitatu cognatorum recusato, ex Galilæa discedit.

Vs. 2: ἦν ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, σκηνοπηγία. Vs. 10: τότε ἀνέβη εἰς τὴν ἑορτήν.

LXXII.

Luc. 9, 51—56.

Discipuli Samaritanos inhospitales ulciscendi cupidi a Jesu reprehenduntur.

De verbis ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ vid. supr. p. 92 n. 2. — Ex eo vero quod dicitur vs. 56: καὶ ἐπορεύθησαν εἰς ἑτέραν κώμην (oppositum vs. 52: εἰσῆλθον εἰς κώμην Σαμαρειτῶν), apparere videtur, Jesum et discipulos in alio Samaritanorum vico hospitio exceptos fuisse.

Digitized by Google

LXXIII.

Luc. 9, 57—62. Matth. 8, 19—22.

Tria Jesu sapienter viris responsa.

Nexum, quem *L.* distincte h. l. indicavit (πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ) longe aliter *Mt.* instituit, qui quæstiones alio loco eoque priore interposuit, quum Jesum transitum per lacum Galilææ paravit. Ita vero quum alterutrum eligendi facultas adest, eum placet nexum præferre, qui rationibus internis commendari videtur. Et *primum* quidem verba vs. 57: ἀκολουθήσω σοι, ὅπου ἂν ἀπέρχῃ, et vs. 61: πρῶτον ἐπίτρεψον μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου iter longius indicare videntur, ut in iter Hierosolymitanum melius quam in transitum lacûs quadrent; *deinde* ex verbis Jesu vs. 60: ἀπελθὼν διάγγελλε τὴν βασιλείαν τ. Θεοῦ tempus efficitur, quo apostoli munus jam auspicati ad docendum emissi fuerant; *denique*, quod vs. 58 Jesus se ab hominibus derelictum, profugum et extorrem dixit, optime in tempora convenit, quibus odium Pharisæorum implacabile nuperrime vero inhumanitatem Samaritanorum expertus erat *). Incertum tamen est neque probabile, tria exempla (unum apud Lucam accedit) ad tempus idem referenda esse.

Consensus fere verbalis adest, nisi quod *Mt.* personas accuratius distinxit: εἷς γραμματεύς (*L.* τις), ἕτερος τῶν μαθητῶν (*L.* ἕτερος).

---

*) Cf. *Schleiermacher* (über d. Schr. d. L. S. 126), *Hug* (Einl. II p. 163). *Paulus* tamen ordinem Matth. præferendum esse duxit (Comm. ad h. l.).

Digitized by Google

LXXIV.

Luc. 10, 1—24. Matth. 11, 20—30 (et cap. 10 passim).

Discipuli septuaginta a Christo emittuntur. Accedit de reditu et successibus eorum relatio.

Quamquam ex formula transeundi parum distincta μετὰ ταῦτα *nexus* nondum apparet *), rationes internæ tamen sectionem hanc cum superiore conjungere suadent; nam verba vs. 1: ὃν ἔμελλεν ἀυτὸς ἔρχεσθαι propositum itineris indicant, et verba: ἑτέρους ἑβδομήκοντα ἀπέστειλε πρὸ προσώπου ἀυτοῦ commode referuntur ad c. 9,52 (sect. 71): ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου ἀυτοῦ **). Quemadmodum duodecim apostoli antea, quum Jesus ex Galilæa iter in Judæam paravit, in Galilæa relicti esse videntur (vid. sect. 37 p. 47 s.), ita hoc ipso tempore, quo iter Hierosolymitanum aliud inceptum est, discipuli septuaginta (non tum demum discipuli facti, sed ex numero reliquorum electi — ita verbum ἀνέδειξεν explicare licet) emissi præcursorum instar in Judæam esse videntur, ut majorem in adventum Jesu attentionem moverent. Id primum ex vs. 1 constare videtur: ἀπέστειλεν ἀυτοὺς πρὸ προσώπου ἀυτοῦ, εἰς πᾶσαν πόλιν κ. τόπον, ὃν ἔμελλεν ἀυτὸς ἔρχεσθαι, et confirmatur deinde vs. 13 et 15, ubi animos Galilæorum a fide religiosa ita alienos esse Dominus deplorat, ut pæne diceres

*) Vix tamen ob rationes philologicas vertere licet cum d. *Schleiermachero* (Schr. d. L. S. 169) non "posthac", sed "præterea".

**) Neque tamen, si quis ἑτέρους dictos esse putaverit, ut distinguantur a duodecim apostolis, de quibus narratio non procul remota est c. 9, 1 ss., equidem multum refragatus fuerim.

Digitized by Google

eum ab hoc inde tempore, Galilæis relictis, incolas Judææ ad fidem adducere sibi proposuisse. Hæc verba, quæ apud *Mt.* alio loco omnino abrupte exstant (c. 11, 20—24), h. l. nexu aptissimo leguntur; de aliis pluribus, quæ apud *Mt.* alium sed hic locum uti videtur rectiorem habent, vid sect. 37 p. 48 s.

Per antecipationem vero loco eodem discipulos et emissos et redeuntes habemus; quare, num in Judæa an postquam Jesus in Galilæam redierit reduces facti fuerint, effici omnino non potest. Verba vero vs. 21 et 22, quæ eadem omnino apud *Mt.* leguntur c. 11, 25—27, sed nexu carente, optime a *L.* loco suo restituuntur, ita ut nexu intellecto ipse sensus multo facilius eluceat.

LXXV.

Luc. 10, 25—37.

Parabola de Samaritano misericorde.

Nihil quidem h. l. adest, unde ratio temporis certa constitui possit; formula enim *καὶ ἰδοὺ* continuam temporis successionem nequaquam indicat. Neque tamen cum iis quæ præcedunt *nexus* omnino deest. Etenim, quum Jesus in parabolis instruendis exempla soleat ex rebus ante oculos obviis repetere, quo fortius animos auditorum feriant, admodum probabile est, laudem humanitatis ideo concessam esse Samaritano, sacerdoti et levitæ opposito, ne discipuli ex uno exemplo (sect. 72) iniquius forte statuerent, Samaritanos, pessimum hominum genus, omnes odio in Judæos flagrare eodemque et ipsos persequendos esse, probabile itaque, parabolam propositam discipulis esse, dum intra fines Samariæ commorabantur, ut ea moniti animum in incolas mitiorem induerent. Fortasse

Digitized by Google

etiam ideo res dicitur in via publica et frequenti Hierosolymam inter et Hierichuntem evenisse, quod ipse Jesus cum discipulis hac via ad urbem tendebat.

LXXVI.

Luc. 10, 38—42.

Marthæ et Mariæ in Christum pietas.

In itinere pergentes (ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτοὺς), ad vicum (κώμην) deveniunt, ubi a Martha et Maria sororibus hospitio excipiuntur. Has autem *sorores Lazari* esse (Joh. 11, 1. 2), et quæ l. l. dicitur κώμη Μαρίας κ. Μάρθας, *Bethaniam* esse, vix dubitare licet *); quod si ita est, h. l. itinere jam finito *ante portas Hierosolymæ* propemodum versantur.

Intra portas quæ gesta fuerint a Jesu, L. uti solet silentio prætermittit; nobis igitur nihil h. l. reliquum est, nisi ex Evang. Joh. supplementum quærere.

LXXVII.

Joh. 7, 11—43.

Orationes a Christo diebus festi in templo habitæ.

Tempus: vs. 14: ἤδη τῆς ἑορτῆς μεσούσης. vs. 37: ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς. *Locus:* vs. 14: ἀνέβη ὁ Ἰ. εἰς τὸ ἱερόν. vs. 28: ἐν τῷ

*) Observandum est, in alia de Martha et Maria narratione (Joh. 12, 1 ss.) eandem in sororibus apparere animi ingeniique diversitatem; Martha enim hic ut illic rebus domesticis occupata est (L. περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν. J. διηκόνει), Maria vero pie commota in Jesum unice attenta (L. παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ι., ἤκουε τοῦ λόγου αὐτοῦ. J. ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ι. κ. τ. λ).

Digitized by Google

ἱερῷ διδάσκων. Quod dicitur autem vs. 21: ἓν ἔργον ἐποίησα, referendum est ad miraculum sanationis in festo paschali antea susceptum, c. 5, 9. 10.

Not. verba Jesu a Joh. historice ex more solito explicata, vs. 39.

LXXVIII.

Joh. 7, 44—8, 1.

Pharisæi frustra Christo insidiantur, Nicodemo dissuadente.

(LXXIX).

(Joh. 8, 2—11).

(Christus, adducta adultera, pietati Pharisæorum simulatæ velum detrahit).

Vs. 2: ὄρθρου παρεγένετο εἰς τὸ ἱερόν.

LXXX.

Joh. 8, 12—59.

Christus de auctoritate sua divina cum Pharisæis disputat.

Vs. 20: Ταῦτα ἐλάλησεν ὁ Ἰ. ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ.

LXXXI.

Joh. 9, 1—39.

Christus homini cœco nato visum restituit, eumque a Pharisæis vexatum profligatumque ad fidem adducit.

Descriptio accuratior, qua singula sanationis momenta indicata sunt (ἔπτυσε – ἐποίησε πηλὸν – ἐπέχρισε – ἐνίψατο), digna est quæ conferatur cum diligentia *Marci* in rebus istiusmodi describendis, vid. sect. 60 et 63.

Digitized by Google

LXXXII.

Joh. 9, 40 — 10, 21.

Christus, perfidiam Pharisæorum perstringens, officia pastoris boni exemplo suo illustrat.

* * *

2.

Iter Hierosolymam ad festum Encæniorum susceptum, atque res in ipso festo actæ.

LXXXIII.

Luc. 11, 1—13. (Cf. Matth. 6, 9—13. 7, 7—11).

Christus de precibus recte instituendis disserit.

Locum quod attinet — num in Judæa ante reditum ex festo Tabernaculorum an in Galilæa post reditum — nihil definiri potest; verum id tamen ex verbis *ἐν τόπῳ τινὶ* constat, locum extra Hierosolymam quærendum esse; et quod dicitur, Jesum precatum precibusque finitis cum discipulis collocutum esse, ostendere videtur eum in loco aliquo itineris solitario cum discipulis versantem.

Ita vero, quæ apud *Mt.* leguntur in oratione montana cum aliis argumenti similis conjuncta, *L.* h. l. ad occasionem aliquam historicam retulit (*ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο*). Orationis dominicæ forma quidem brevior h. l. adest; quæ adsunt vero, in verbis etiam singulis, si a paucis discesseris, habebis in utroque eadem. Sed de his omnibus vide, quæ notata sunt in sect. 33 p. 38. 39. 41.

Not. singularem constructionis anomaliam vs. 11, ejusque in vs. 12 emendationem.

Digitized by Google

LXXXIV.

Luc. 13, 22—30.

Christus, in itinere interrogatus, de ratione salutis consequendæ disserit.

Διεπορεύετο κατὰ πόλεις . . πορείαν ποιούμενος εἰς Ἱερουσ. h. e. *incepto itinere Hierosolymitano, urbes Galilææ* ita *transiit*, ut ad fines provinciæ meridionales propius accederet. Nondum enim Jesum fines Galilææ excessisse, sequitur ex *nexu* hujus sectionis cum ea quæ sequitur arctissimo (vs. 31: *ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ*); quod ita manifestum et evidens est, ut ne opus quidem sit monere, verbis vs. 26: *ἐφάγομεν ἐνώπιον σου — καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας* — Galilæos aperte pungi et feriri.

Imago *τῆς στενῆς θύρας* (s. *πύλης*) exstat in *Mt.* 7, 13. 14, sed *alia ratione composita*, ut statuendum sit, usum imaginis facillimæ et aliunde satis notæ frequentiorem Jesu fuisse; h. l. enim non ut apud Mt. vis imaginis in angustia portæ quærenda est, sed in eo, quod nunc aperta jamjam claudenda erit. Idem sine dubio valet de imagine discumbentium cum patriarchis et de formula *οἱ πρῶτοι . . ἔσχατοι, οἱ ἔσχατοι . . πρῶτοι* nam utraque alio loco apud Mt. adest (c. 8, 11. 12. c. 20, 16), nexu vero non minus quam h. l. commodo, ut non magis hinc illuc quam illinc huc videatur esse translata.

LXXXV.

Luc. 13, 31—33.

Christus de insidiis Herodis et Pharisæorum loquitur.

Πορεύου ἐντεῦθεν — h. l. *ἐκ τῆς Γαλιλαίας* (s. *Περαίας*), nam quæ sequuntur (*ὅτι Ἡρῴδης θέλει*

Digitized by Google

σε ἀποκτεῖναι) indicant provinciam imperio Herodis subjectam (cf. supr. p. 94 s.). Habemus igitur h. l. Jesum *exitum ex Galilæa (vel Peræa) et iter Hierolymitanum* parantem, atque vss. 32, 33 sic intelligendi videntur: "propositum mihi erat per paucos hos dies miseris et ægrotis opem benigne ferre; jam vero, quum hoc per insidias Herodis non liceat, his ipsis diebus iter Hierosolymitanum inibo, scilicet absit — quantum nefas! — ut extra muros urbis propheta aliquis supplicium patiatur *)!"

Apostrophe vero quæ sequitur ad Hierosolymam conversa (vs. 34. 35) h. l. durior certe est, apud *Mt.* autem (23, 37—39) nexu facillimo cum prioribus cohæret; unde verisimile est, eam propter nomen Hierosolymæ quod præcedit ex illo loco huc transiisse. Hoc autem eo facilius fieri potuit, quod verba vs. 35 aliter intelligi possunt, forsan etiam intellecta fuerunt **): "nunc igitur, quum equidem discedam, vos patriam vestram Galilæam habete vobis, neque me ante festum videbitis, in quo excipiendus ero solenni salutatione prophetica." De longe alio vero nexu et sensu verborum apud *Mt.* vid. infra sect. 115.

LXXXVI.

Luc. 14, 1—24.

Christus apud Pharisæum cœnans hydropicum sanat, et sermones varios habet.

Orationes et parabolæ singulæ cum insigni acribeiâ historicâ, cujus ante habuimus exempla (vid. sect. 52

*) Alias loci difficilis interpretationes vid. apud *Chemnit.* (harm. evv. I p. 1267), *Rus.* (harm. evv. II p. 696 ss.), *Kuinoel.* ad h. l.

**) Præsertim quum neque lectio eadem omnino ac apud Mt. est; nam graviores auctoritates criticæ suadent

Digitized by Google

p. 71) conjunctæ et connexæ sunt, ut appareat, eum quo una alteram excipiat ordinem rebus externis deberi, vid. vs. 7 (*ἐπέχων, πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο*), vs. 15 (*ἀκούσας τις .. εἶπεν αὐτῷ ... ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ κ. τ. λ.*).

Exemplo bovis vel asini, cui succurrendum esse salvo honore sabbati Pharisæi statuebant, alio quoque loco (c. 13, 15) et sæpius sine dubio Jesus usus est ad pietatem fictam fucatamque castigandam. Sic quoque adagium vs. 11 alio nexu et sensu magis prægnanti exstat apud *Mt.* 23, 12, et parabola apud *Mt.* 22, 1 ss. similis ei quæ h. l. vs. 16 ss., de qua vid. infra sect. 110.

LXXXVII.

Luc. 14, 25—35. (Cf. Matth. 10, 37. 38. 5, 13).

Christus, quomodo discipuli ipsius animati esse debeant, exemplis in itinere docet.

Verbum *συνεπορεύοντο* differre videtur ab *ἠκολούθουν*, ut indicetur, Jesum non solum ædes Pharisæi reliquisse, sed *in alias regiones* etiam discessisse, populi vero turbas ei sese itineris comites adjunxisse.

Quod abrupte positum est apud *Mt.* 10, 37 s., h. l. (vs. 26. 27) quum ex occasione historica egregie illustratur, tum vero nexu aptissimo cum parabola vs. 28—32 cohæret, accedente verbis disertis applicatione vs. 33. Neque in iis quæ sequuntur: *καλὸν τὸ ἅλας* – difficile est cum nomine quod præcedit *μαθητής* nexum efficere, ut imagine salis putrescentis discipuli languescentes et inconstantes describantur;

---

omittere *ἔρημος*. — Cf. *Paulus* Comm. II p. 464 f. *Schleiermacher* Schr. d. L. p. 195 f.

Digitized by Google

quamquam fatendum est, neque in *Mt.* 5, 13 hæc loco incommodo adesse.

LXXXVIII.

Luc. 15, 1—32.

Parabolæ tres Pharisæis oppositæ de conversione peccatorum.

Aptissimus parabolarum *nexus* est; omnibus enim *idem argumentum*, μετανοία est, idque in omnibus ita tractatum, ut murmurationi Pharisæorum, ex arrogantia et pietate simulata profectæ, opponatur. Descriptâ enim in duabus prioribus lætitiâ piâ de conversione hominis improbi, ratio et pretium conversionis tertiâ pulcherrime exponitur, sic tamen ut sub finem ejus (vs. 25—32) thesis eadem redeat: in conversione peccatoris gaudio non invidiæ locum et materiam esse.

De imagine prima, quæ apud *Mt.* alio loco legitur (c. 18, 12. 13) notata vide in sect. 69 p. 90.

LXXXIX.

Luc. 16, 1—31. 17, 7—10.

Parabolæ de prudentia dispensatoris atque de Lazaro et homine divite.

Hæc *eodem tempore* ac ea quæ præcedunt disputata esse videntur propter vs. 14[tum]; quamquam enim verba: ἦκουον δὲ ταῦτα πάντα, quia mox additur φιλάργυροι ὑπάρχοντες, referri non debent nisi ad ea quæ de vanitate divitiarum (vs. 11—13) dicta sunt, οἱ φαρισαῖοι tamen facillime iidem intelliguntur, quos c. 15, 2 adesse vidimus. In ipsa vero *parabola de oeconomo* nihil est, quod nexum ostendit; nisi forte videatur tibi apologiam portitorum continere, de quibus

Digitized by Google

mentio antea fuit (15, 1) *); sed hoc nescio an magis ingeniose quam vere observatum sit.

Tum vero etiam in *reliquis* nexus idoneus visus est multis deesse, ut suspicati fuerint **), vss. 16—18 ex Mt. 11, 12 et 5, 18. 31 hunc in locum illatos esse. Mihi tamen secus videtur, quoniam parabola quæ sequitur de Lazaro ad illa respicere, neque satis accurate explicari posse videtur, nisi illis locus suus maneat. Etenim, quum beata Lazari, divitis miserrima sors sibi opponuntur, nonne exemplo illustrantur verba vs. 15: τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἐνώπιον τ. θεοῦ (ɔ: τὸ δὲ ἐν ἀνθρ. ἐξουθενημένον, ἐνάρεζον ἐν. τ. θ.)? atque quum Abrahamus Mosen et prophetas consulere jubet, signorum portenta vero dare recusat, quid facit nisi oraculo affirmare, quod dictum erat vs. 16. 17 de auctoritate legis nunquam interitura? Quæ quum ita sint, nexus versiculorum, occultus certe et difficilis, tentandus est, idque hoc fere modo: "Vos (Pharisæi), qui nihil præter speciem pietatis inanem cupitis, Deo nullo modo probari potestis; id quod ex voluntate Dei constat, hominibus primum Lege mosaica revelata,

---

*) Ita *Schleiermachar* (d. Schr. d. L. p. 202—4). De interpretatione loci vexatissimi non hujus loci disquirere est. Licet autem suspicari, formam parabolæ non tam a Jesu excogitatam esse, quam ex re historica, eo tempore præsente omnibusque nota, petitam esse, quam J. elegisse videtur, ut exemplo insignis in rebus civilibus (ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμμωνᾷ) prudentiæ, quod multorum fortasse laudibus ferebatur, ostenderet sapientem et fervidam rerum spiritualium (τοῦ ἀληθινου) curam. Ita, si quid video, magna et maxima difficultatum pars removeri potest.

**) Ita *Kuinoel* comm. II p. 575.

Digitized by Google

deinde Evangelio regni Messiani, cujus nunc omnes tenet desiderium. Imovero, quum nemo dubitet, Legi divinæ auctoritatem æternam constare, quid de vobis dicendum, qui subtiliter disputando distinguendoque exceptiones facitis, atque homines impune severitatem legis illudere sinitis!" *). Exemplum enim, quo præceptum decalogi sextum explicatur, positum videtur cum allusione quadam ad facinus Herodis Antipæ commissum **); quod quum Jesus magis digito innuere quam voce designare vellet, eo minus h. l. brevitatem aliquam et obscuritatem sermonis mirari debemus:

Neque vero improbabile est, adagium vs. 17 et exemplum vs. 18 aliis occasionibus a Jesu proposita esse, ita Mt. 5, 18. 31, ubi nexus haud incommodus adest, sententia vero vs. 13 apud Mt. (c. 6, 24) omni nexu idoneo caret. Locus denique Mt. 11, 12 similis quoad verba est vs. 16, sed alium sensum, suadente contextu, habere videtur, vid. sect. 38 p. 51 s.

Quæ in *cap.* 17^mo vs. 1—7 leguntur, cum superioribus et inter se invicem neque conjuncta sunt neque sine nimio artis ingeniique apparatu conjungi possunt ***). Videntur hic igitur plura diversarum orationum fragmenta in unum collecta esse; quare jam antea, reliquis evangeliis monstrantibus, ea sejungenda et distribuenda curavimus in sect. 66 p. 86 s. 69 p. 90. 70 p. 91 ****). Re-

*) Cf. *Paulus* Comm. II p. 526 ss. *Schleiermacher* d. Schr. d. L. p. 206—9.

**) Cf *Paulus* l. l. p. 509 f. *Schleiermacher* l. l.

***) Nexum indicare conatus est *Schleiermacher* Schr. d. L. p. 210—12.

****) Sic autem distributione composita sunt, ut ad tempus idem omnia referantur.

Digitized by Google

stant vss. 7—10, qui *apud L. solum* exstant, ideoque, quamvis nullus intercedat cum prioribus nexus, h. l. retinendi sunt.

XC.

Luc. 17, 11—19. Cf. Matth. 19, 1. 2. Marc. 10, 1.

Christus decem leprosos in confinio Galilææ et Samariæ sanat.

Evangelistas h. l. convenire in itinere eodem ad f. Encæniorum eademque itineris ratione describenda (Jordane trajecto per Peræam, finibus Samariæ vitatis), supra jam notatum est (p. 96 s.).

XCI.

Luc. 17, 20—18, 8. (Cf. Matth. c. 24. Marc. c. 13 passim).

Christus, de instauratione regni divini interrogatus, ad vigilantiam exhortatur.

Eorum, quæ c. 17, 20—37. leguntur, magna pars apud *Mt.* et *M.* alio loco reperitur:

Vs. 23. . .	*Mt.* 24, 23. *M.* 13, 21.
— 24 . .	— — 27.
— 26. 27.	— — 37—39.
— 31. . .	— — 17. 18. *M.* 15. 16.
— 35. 36.	— — 40. 41.
— 37. . .	— — 28.

Sed in hoc sine dubio major *L.* acribeia agnoscenda est; nam quæ in illis *Mt.* et *M.* capitibus propter argumenti similitudinem in unum conjuncta sunt, *L.* accuratius distinxit, *alia serius* Hierosolymæ dicta (cap. 21), *alia prius* in itinere (h. l.), atque in his etiam distinxit, quæ Pharisæis breviter admodum et quæ discipulis copiosius dicta sunt.

Digitized by Google

Nexu aptissimo autem singula h. l. inter se cohærent: "Regnum div. quod attinet, ante omnia monendum est, *primordium* ejus jam adesse (vs. 20. 21). Sin futura ejus *instauratio* solennis quæritur, scitote: 1. eam non nimis cupide appetendam esse (vs. 22); 2. eam neque prævideri neque signis indicari posse, quum subito et ex improviso adfutura sit (vs. 23. 24); 3. nondum vero tempus instaurationis adesse (vs. 25); 4. homines igitur ad eam excipiendam omni modo se præparare debere, neque in curis rerum terrestrium animos defigere (vs. 26—36). 5. Tempus vero et locus si quæritur, hoc unum sciendum esse, mortem prius subeundam Domino esse" (vs. 37). Ita namque imaginis cadaveris et vulturum explicandam esse *), ex *L.* manifestum esse videtur; sensus enim, apud *Mt.* obscurior, quia nexus idoneus deest, h. l. indicatur interrogatione discipulorum ποῦ (ɔ: πῶς) κύριε; (h. e. quid hoc est, quod eventurum esse prædicis?).

Parabolam ad orationem eandem pertinere neque ab ea sejungendam esse, concludimus ex consilio et argumento ejus. Proposita enim est πρὸς τὸ μὴ ἐγκακεῖν ἀυτούς (vs. 1); quæ præcessere autem (vs. 31—36), ita sane dicta erant, ut vultus discipulorum anxios sine dubio mœstosque videret; quare ne solatium deesset,

*) "Ut vultures corpore mortuo alliciuntur, ita me mortuo (cf. Joh. 12, 24) advolabunt, qui ex nomine meo gloriam captaturi sint." Interpretes tamen tantum non omnes, relicta imagine mortis, sensum quæsierunt alii alium (homines impii atque pœnæ iis debitæ — Hierosolyma flagitiis obruta et aquilæ Romanorum hostiles. — Christus semper vivens et potens atque fideles ejus sectatores cet.). Explicationes enumeratas vid. ap. *Rus.* (harm. evv. III p. 370 ss.) et *Wolf.* curæ phil. ad h. l.

Digitized by Google

preces per parabolam indicantur animi afflicti præsidium, ut ex magno earum in rebus humanis effectu intelligant, quam tute hominibus piis (τοῖς ἐκλεκτοῖς vs. 7) confidere gratiæ divinæ liceat, quæ ultro et cito (ἐν τάχει) opem ferat. Neque tacendum est, ipsam parabolæ clausulam (ὁ υἱὸς τ. ἀνθρώπου ἐλθὼν) respicere ad c. 17, 30: ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τ. ἀνθρ. ἀποκαλύπτεται.

XCII.

Luc. 18, 9—14.

Parabola de Pharisæo et portitore.

Respicere videtur ad c. 15, 1. 2. c. 16, 14, fastui Pharisæorum opposita; id quod verba etiam indicare videntur; cuinam enim, qui h. l. describuntur πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, non videntur iidem intelligendi, qui c. 16, 15 dicti sunt οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τ. ἀνθρώπων *)?

XCIII.

Matth. 19, 3—12. Marc. 10, 2—12.

Christus ad quæstiones Pharisæorum de repudio et de conjugio respondet.

H. l. denique ad *Mt. et M.* iterum recurrere licet, qui, antequam cum *L.* conveniunt, hunc eventum retu-

*) Aliter visum est d. *Schleiermachero* (Schr. d. L. p. 220 f.), qui hanc parabolam superiori adjungendam esse censet, *discipulis* nonnullis oppositam, qui sibi suisque viribus nimis confidebant. Sed obstat contextus, quoniam ita monstrandum certe fuisset, quantum periculi ex illa securitate oriatur, neque in Pharisæo animus reprehenditur, qui nihil non se agere et efficere posse jactet, sed qui omnia jam acta esse persuadeat sibi, ut nihil restet nisi præmia debita reportare.

Digitized by Google

lerunt. *Tempus* nullum quidem annotatum est, sed verisimile admodum est, h. l. respiciendum esse *L.* 16, 18 (sect. 90), ut Pharisæi, sive iidem fuerint sive alii, scientes, quam severe Jesus de sanctitate matrimonii statueret, quæstionem lubricam intulerint, unde spes esset, fore ut Herodi magis suspectus vel invisus fieret. *Locum* vero quod attinet, quum præcedant apud *Mt.* vs. 1: ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τ. Ἰουδαίας πέραν τ. Ἰορδάνου, concludendum videtur, hoc non ante evenisse, quam Jesus, Peræam transgressus, pervenerit in Judæam *).

Sed *diversitas* non exigui adeo momenti h. l. adest; *primum* enim Pharisæi apud *Mt.* quærunt, num liceat uxorem dimittere κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, quæ verba apud *M.* omissa sunt, *tum* vero Jesus apud *Mt.* (vs. 9) repudium prohibet, causa adulterii excepta **), quum apud M. (et in loco parallelo L. 16, 18) nulla exceptio adest.

Ordo narrationis quoque alius in *Mt.*, alius in *M.* est. Videtur autem forma colloquii libere currentis in *M.* melius servata: Jesus, ut auctoritatem Mosis opponat Pharisæis, mox ita quærit: τί ἐνετείλατο Μωσῆς; (quid jussit?); — hi vero, callide subterfugientes, objiciunt *veniam* a Mose concessam (ἐπέτρεψε); tum Jesus, primum ad hanc objectionem responso dato, finem disputationi facit effato divino de inviolabili matrimonii sanc-

*) Nam quod vertit d. *Schleiermacher* (Schr. d. L. p. 225): "*profectus est* (non pervenit), in regiones Judææ" (ἦλθεν δ: ἐπορεύετο), illa significatio verbi ἔρχεσθαι neque exemplo quod attulit Mt. 15, 29 probatur, neque credo cum usu loquendi N. T. constare potest.

**) Eodem modo quo Mt. 5, 32. Cf. sect. 33 p. 43.

Digitized by Google

titate. Hæc vero Matthæo aptius et facilius visum est ita resolvere, ut præmittat *responsum* Jesu de matrimonio, deinde transeat ad *objectionem* repudii; hexu arctissimo mutuo vs. 9 et vs. 6 haud satis observato. M. præterea in hoc accuratior est, quod ea distinguit, quæ Pharisæis, et quæ deinde domi discipulis dicta fuerint (vs. 10).

Mt. vs. 9 et *M.* vs. 12 unus ex altero supplendus est; ibi enim prohibetur, ne quis uxorem ducat ab alio repudiatam, hic vero, ne uxor, marito relicto, alii nubat. — Vss. 10—12 apud Mt. solum leguntur.

XCIV.

Matth. 19, 13—15. Marc. 10, 13—16. Luc. 18, 15—17.

Christus infantibus adductis bene precatur.

Nexum aliquatenus particula τότε (*Mt.* vs. 13) indicat, quæ tempus longius remotum certe non admittit; accedit quod verba ἐπορεύθη ἐκεῖθεν (*Mt.* vs. 15) continuationem itineris declarant.

Verba Jesu eadem apud omnes sunt; sed accedit explicationis instar apud *M.* vs. 15 et *L.* vs. 17 locus simillimus, quem *Mt.* alia occasione habet, c. 18, 3 (sect. 69 p. 89). Studii emendandi et explicandi vero exempla apud *M.* hæc sunt: ἐπετίμων τοῖς προσφέρουσιν (*Mt. L.* ἀυτοῖς ɔ: τοῖς παιδίοις, quod minus accurate dictum videbatur) — ὁ Ἰ. ἠγανάκτησε κ. εἶπεν (*L.* προσκαλεσάμενος εἶπεν). Utramque quoque *Mt.* et *L.* narrationem conjunxit: actum benedicendi *L.* omisit, *M.* vero cum *Mt.* habet, exhortatio infantes imitandi apud *Mt.* deest, quam *M.* cum *L.* habet.

Not. verbum ἐναγκαλίζεσθαι *M.* proprium (cfr. c. 9, 36).

Digitized by Google

XCV.

Matth. 19, 16—20, 16. Marc. 10, 17—31. Luc. 18, 18—30.

Colloquium Christi cum juvene divite. Oratio cum parabola de præmiis ex mera gratia Dei repetendis.

De *loco et tempore* nihil constat, nisi quod M. habet vs. 17: ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, quod si conjungitur cum Mt. vs. 15. 16: ἐπορεύθη ἐκεῖθεν, καὶ ἰδοὺ . . de itinere Hierosolymitano continuato facillime h. l. intelligitur.

Parabola de operariis in vinea apud Mt. solum invenitur; et fatendum est, necessitatem aliquam ejus apud *Mt.*, non ita apud *L.*, adesse. Jesus enim apud *Mt.* loquens *distinguit* apostolos, thronos in coelo aliquando occupaturos et tribus duodecim judicaturos, atque reliquos omnes sectatores fideles (καὶ πᾶς ὁ: imo vero quisquis), quibus restitutio bonorum (sensu spirituali) et vita æterna promittuntur. Hoc autem perperam intelligi posset, ac si apostoli ratione temporis, eo quod omnium primi vocati fuerant, primum inter omnes locum habituri essent (ita ne Juda quidem excepto); ideo addenda erat parabola quæ doceret, temporis nullum in rebus spiritualibus momentum esse, neque, sive quis prius sive serius nomen Christo dederit, quidquam ad rem facere. Aliter vero *L.*, qui ex verbis Jesu ea tantummodo servavit, quæ ad *omnes* pertinebant, omissis iis quæ *apostolis* dicta erant; in his autem quum nihil esset, quod explicatione opus habebat, parabolam sine incommodo certe omittere potuit. M. vero, hîc ut sæpius mediam viam ingressus, parabolam quidem omisit, sententiam vero, quæ ceu thesis imagine illustranda apud Mt. præmissa

Digitized by Google

est (πολλοὶ πρῶτοι ἔσχατοι κ. τ. λ.), recepit, quum tamen sine commentario parabola recte vix intelligi possit. In reliquis omnibus magnus est consensus, nisi quod *Mt.* vs. 28 de thronis apostolorum erigendis ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ apud *M.* et *L.* deest (locus tamen similis adest *L.* 22, 30); in locis nonnullis *L.* brevior Matthæo est (vs. 20. 29), in eo tamen accuratior, quod nobilitatem juvenis indicavit: τις ἄρχων (Mt. M. εἷς).

Sed plura memoratu digna narratio *Marci* offert. Studium accurate, vivide, graphice res enarrandi describendique ubique apparet:

vs. 17: προσδραμὼν κ. γονυπετήσας (Mt. προσελθὼν).
— 21: add. ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτὸν.
— — ad ἀκολούθει μοι add. ἆρας τ. σαυρόν (ne quis intelligeret forte invitationem ad comitatum itineris).
— 23: add. περιβλεψάμενος.
— 24: explicat οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες: οἱ πεποιθότες ἐπὶ τ. χρήμασι (ne verba ad litteras intellecta offenderent).
— 27: add. ἀλλ' οὐ παρὰ τ. θεῷ.
— 30: repetuntur singula bona amissa sed recuperanda, ut restitutio in integrum describatur.

Tum vero vestigia adsunt narrationis ex *Mt.* et *L.* usu diligenti compositæ:

Mt. vs. 16: τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω . .
L. vs. 18: τί ποιήσας . . κληρονομήσω.
M. vs. 17: τί ποιήσω, ἵνα κληρονομήσω.

Mt. vs. 20: τί ἔτι ὑστερῶ;
L. vs. 22: ἔτι ἓν σοι λείπει.
M. vs. 21: ἓν σοι ὑστερεῖ.

Digitized by Google

Mt. vs. 29: ἕνεκεν τ. ὀνόματος μου.
L. vs. 29: ἐν. τῆς βασιλείας τ. θεοῦ.
M. vs. 29: ἕν. ἐμου κ. τοῦ ἐυαγγελίου.
Mt. ibid.: ἑκατονταπλασίονα.
L. vs. 30: πολλαπλασίονα ἐν τ. καιρῷ τούτῳ.
M. vs. 30: ἑκατοντ. νῦν ἐν τ. καιρῷ τ.

XCVI.

Joh. 10, 22—42.

Christus in festo Encæniorum in templo docet. Tum, furore Pharisæorum coactus, in Peræam redit.

Vs. 22. 23: Ἐγένετο τὰ ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις .. καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ.

Vs. 40: Καὶ ἀπῆλθε πάλιν πέραν τ. Ἰορδάνου .. καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ.

* * *

XCVII.

Joh. 11, 1—46.

Christus Bethaniam profectus Lazarum in vitam revocat.

XCVIII.

Joh. 11, 47—57.

Christus, Pharisæis insidiantibus, in oppidum Ephraem se recipit.

Vs. 54. 55: Ἰησοῦς ἀπῆλθεν εἰς τὴν χώραν ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, εἰς Ἐφραΐμ λεγομένην πόλιν· κἀκεῖ διέτριβε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ· ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων.

* * *

Digitized by Google

3.

Ultimum iter Christi Hierosolymitanum ad festum Paschatis.

XCIX.

Matth. 20, 17—19. Marc. 10, 32—34. Luc. 18, 31—34.

Christus, passionem et resurrectionem discipulis prædicens, Hierosolymam proficiscitur.

In itinere atque in prædictione communis omnium consensus est, nisi quod Mt. pro ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν (ita M. et L.) specialius habet σαυρῶσαι. M., ceterum ad Mt. propius accedens, itineris rationem uti solet accuratius describit: Jesum præcedentem, discipulos autem pavidos timidosque sequentes (ἐθαμβοῦντο κ. ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο). Observandum denique est, quod *L.* addit: prædictionem supplicii ita discipulis incredibilem visam esse, ut, quid sibi verba vellent, ne intelligerent quidem (οὐδὲν τούτων συνῆκαν — οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα) *).

C.

Matth. 20, 20—28. Marc. 10, 35—45.

Christus, studium ambitiosum filiorum Zebedæi reprehendit.

Mater nomine filiorum preces apud Mt. profert; M. vero, matre omissa, filios loquentes inducit, fortasse ut constaret, ipsos auctores petitionis habendos esse, et matrem ut prece pro ipsis intercederet commovisse.

---

*) Prædictionis ratio autem facilius ex eo intelligitur, quod tradit *Joh.* 11, 53 post resuscitationem Lazari: ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας συνεβουλεύσαντο, ἵνα ἀποκτείνωσιν αὐτόν.

Digitized by Google

Diligentiæ *Marci* in rebus singulis accuratius definiendis exempla hæc sunt: Mt. brevius ἀιτοῦσα τι, M. sermone recto resolvit: θέλομεν ἵνα, ὃ ἐὰν αἰτήσωμεν, ποιήσῃς ἡμῖν — Mt. vs. 21: εἰπὲ ἵνα. M. vs. 37: δὸς ἡμῖν ἵνα — Mt. ibid.: τῇ βασιλείᾳ. M. ibid.: τῇ δόξῃ — Mt. vs. 25: οἱ ἄρχοντες. M. vs. 42: οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. Denique ad imaginem poculi hauriendi accedit apud M. (vs. 38) imago lavacri subeundi (βάπτισμα βαπτίσθῆναι). Vss. 25—27 cum levi discrimine quodam leguntur alia occasione, L. 22, 25. 26 (sect. 122).

CI.

Matth. 20, 29—34. Marc. 10, 46—52. Luc. 18, 35—43.

Jesus Hierichunte coecis duobus visum restituit.

Mirus in *loco et tempore* definiendo *dissensus* adest; *Mt.* et *M.* enim tempus indicant, quo Jesus Hierichunte egressus est, *L.* autem quo urbem intravit; accedit, quod apud *Mt.* de *coecis duobus*, apud *M.* et *L.* de *uno* sermo est. Facile autem ni fallor origo dissensus explicatur. Acribeia enim utrobique desideratur: *Mt.* plenius quam accuratius re narrata, *numerum* recte observavit, *tempora* haud satis distinxit *), *M.* et *L.* accuratius quam plenius, *tempus* recte indicarunt, *numerum* non ita. Narrationem *Mt.* itaque resolvendam esse credimus, ut ex duobus coecis, quos simul adfuisse tradidit, unus (de quo *L.*) in urbis introitu, alter (de quo *M.*) in exitu sanatus fuerit. Sed fatendum tamen est, evangelistas de facto eodem omnes scrip-

*) Idem accidisse Mt. in narratione de dæmoniacis in provincia Gadarenorum sanatis, verisimile judicavimus in sect. 27 p. 27.

Digitized by Google

sisse; quis enim putaverit, in sanatione posteriore populum prohibere voluisse coecum, ne auxilium Jesu imploraret, neque potius, qui testis nuper potestatis ejus fuisset, ad preces eum ultro provocasse et omni modo excitasse *).

Narratio *L.* et *M.* specialior et vividior est: coecus mendicans ad viam sedet (nomen etiam M. attulit: Bartimæus) atque sciscitatus, quisnam esset populi prætereuntis tumultus, deinde inter acclamationes populi, pallio verecundiæ causa posito, ad Jesum accedit, qui, fidem collaudans, oculos aperiri jubet; populus denique, miraculo conspecto, Deo laudes canit. De his omnibus nihil apud Mt., qui in succincta rei relatione substitit.

CII.

Luc. 19, 1—10.

Christus in hospitio Zacchæi.

Narratio cum superiore cohæret verbo εἰσελθών quod referendum est ad c. 18, 35: ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτόν εἰς Ἰεριχώ. Quod dicitur autem: διήρχετο τὴν Ἰερ., καὶ ἰδού . . , inde concludimus, portitorium et domum Zacchæi intra muros fuisse.

CIII.

Luc. 19, 11—28. (Cf. Matth. 25, 14—30).

Parabola de argento servis commisso.

Ad tempus hospitii apud Zacchæum referenda est propter verba quæ *nexum arctissimum* constituunt;

---

*) Cf. *Calvin.* harm. evv. p. 304 s. *Bengel.* harm. d. Evv. p. 434 f. De magna sententiarum hac de re diversitate

Digitized by Google

ἀκουόντων δὲ ἀυτῶν ταῦτα. — Verbis vero in fine narrationis (vs. 28): ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσ. continuatio itineris describitur.

Quæ apud *Mt.* 25, 14—30 (post introitum Hierosolymitanum) invenitur parabola, nostræ in multis similis est. Dominus adest peregre profecturus, servis pecuniam committens, deinde domum reversus rationes exigens; servi tres commemorantur, quorum duo propter pecuniam auctam laudantur, tertius ob ignaviam pœnæ traditur; hic denique verbis iisdem in utraque parabola se excusat, dominus autem in utraque iisdem verbis respondet. Verum tamen *nexus et consilium utriusque parabolæ alius est:* apud *Mt.* vs. 13 præcedit exhortatio γρηγορεῖτε οὖν, ideoque parabola tota in eo est, ut strenua *vigilantia* et *socordia* otiosa exemplis servorum sibi opponantur, apud *L.* vero nexus indicatur vs. 11: διὰ τὸ δοκεῖν ἀυτοὺς (τοὺς μαθητὰς), ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι, ipsumque argumentum parabolæ ex duobus momentis compositum est: instaurationem regni mess. *non subito exspectandam* esse, multos enim animo hostili resistere, qui pœnas nequaquam evitaturi sint (vs. 14. 27), sed *singulis* hoc curæ cordique esse debere, ut recto et honesto virium usu laude digni aliquando reperiantur. In hac argumenti diversitate non mireris, in utraque parabola plura esse aliter disposita: apud *L.* vir nobilis est, qui dignitate regia ipse ornatur, et servis fidelibus præ-

---

copiose et accurate egit *Rus.* harm. evv. II p. 1067—70. 1107—10. Exemplum afferre sufficiat *Osiandri*, qui ex coeco uno quatuor fecit, ut evangelistæ singuli facillime conciliarentur; "cujus commento nihil magis frivolum esse", recte judicavit *Calvin.* l. l.

Digitized by Google

fecturas urbium committit, apud *Mt.* homo privatus, qui præmia ex divitiis aurea distribuit; servi apud *L.* decem singuli eandem pecuniam accipiunt, suam quisque minam, ex qua primus negotiando decem, secundus quinque facit; apud *Mt.* servi tres pro diversa virium facultate diversam accipiunt pecuniam, unus quinque talenta, alter duo, tertius unum, quæ ita augentur, ut ex quinque decem, ex duobus quatuor fiant. His ita comparatis probabile videtur, ex eadem imagine parabolam bis, alio tempore et aliis ex parte auditoribus, constructam esse, sed pro diversitate occasionis et consilii nunc breviorem nunc uberius exornatam *).

CIV.

Joh. 12, 1—10. Matth. 26, 6—13. Marc. 14, 3—9.

Christus Bethaniæ a Maria ungitur.

Narrationem ab ea, quæ apud *L.* 7, 36—50 exstat, diversam esse, probare antea conati sumus in sect. 39. Sed *nodus difficilis* adest; res enim, quam *Joh.* verbis disertis *d.* 6^to^ *ante festum Paschatis* evenisse tradit (h. e. quum primus festi dies – xv Nisan – anno isto a vespera d. Jovis inceperit (Mt. 26, 17 coll. Joh. 19, 31), *d.* ix *Nisan*, sive vesperâ d. Veneris sive rectius d. Sabbati ante vesperam), a *Mt.* et *M.* differtur in tempus post introitum Hierosolymitanum, *diem* ut videtur *ante festum paschale proximum*, quum Bethaniæ pro more solito pernoctavit. Hic quidem dissensus neque negari potest — nam eventum eundem apud omnes describi, in summo rerum sin-

*) Cf. *Schleiermacher.* l. l. p. 239 s.

Digitized by Google

gularum consensu nemo facile dubitaverit *) —, neque artis remedio ullo auferri potest. Sed veritas historica ubi quærenda sit, haud ita dubium est; *primum* enim dies, a reliquis duobus incertus relictus, a *Joh.* accurate indicatus est; *tum* vero narratio, quæ apud *Mt.* et *M.* uti res forte ferebat interposita esse videtur, nexu accurato apud *Joh.* cohæret cum ea quæ sequitur de introitu Hierosolym. (vs 12: τῇ ἐπαύριον); *denique*, comparatione evangeliorum instituta, tanta in rebus singulis minutioribus describendis diligentia *Johannis* apparet, ut dubitari vix possit, quin ipse præsens adfuerit, neque igitur credibile est, eum ratione temporis errare potuisse. Ita *Mt.* et *M.* nihil de convivio instituto habent; *Joh.* vero: cœnam ei paratam esse, in quo Martha ministraverit, Lazarus in numero convivarum fuerit; — nomen mulieris ungentis, perinde ac si obscurum et ignotum fuerit, *Mt.* et *M.* omittunt, *Joh.* indicat: Mariam, fide et pietate in Jesum insignem — unctionem ipsam *Mt.* et *M.* breviter, *Joh.* accurate describit: libra unguenti adhibita, pedes crinibus abstersos, domum odore repletam esse — obmurmurationes *Mt.* et *M.* ad plures referunt (Mt. ὁι μαθηταὶ. M. τίνες), *Joh.* accuratius ad Judam Cariothensem, adjecta explicatione rei ex sordida et turpissima qua flagrabat lucri cupidine. Verba denique ipsius Jesu brevius quidem apud *Joh.*, uberius

*) Cf. *Augustin.* de cons. evv. II n.153. Diversitatem unctionis cum patres ecclesiæ complures (*Orig.* comm. in Mt. n. 77 ed. de la Rue. *Chrysost.* homil. 80 in Mt. *Theophyl.* comm. in M. ad h. l.), tum etiam harmonistæ antiquiores multi probare conati sunt, de quibus vid. *Rus.* harm. evv. III p.14—20.

Digitized by Google

apud *Mt.* et *M.* leguntur, sed ita ut magis explicari quam accurate referri videantur; quæ adduntur enim: τὸ κόπους — εἰς ἐμέ, atque ὅταν θέλητε — ἐν ποιῆσαι, glossarum instar explicant verba *Joh.* ἄφες αὐτήν atque τοὺς πτωχούς — ἑαυτῶν· quod autem paulo durius apud Joh. dictum est: εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ τετήρηκεν, facilius resolvitur apud *Mt.* πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν, et apud *M.* προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς τὸν ἐνταφιασμόν *).

In ultimis verbis Jesu de memoria pietatis Mariæ pie per secula servanda, quæ apud *M.* desunt, consensus *Joh.* in singulis fere verbis cum *Mt.* est.

CV.

Matth. 21, 1—11. Marc. 11, 1—10. Luc. 19, 29—44. Joh. 12, 9—19.

Christus asino vectus Hierosolymam ingreditur.

Tempus quod attinet, *M.* et *L.* tradunt: quum Jesus Bethphagen et *Bethaniam accederet*, eum discipulos misisse, qui asinum adducerent; quare videri posset narratio nostra ita dissolvenda, ut ea quæ præcedit sectio inter missionem (de qua nihil apud Joh. legitur) et ipsum in urbem introitum locum haberet. Sed narrationem, quæ discipulos emissos, asinum adductum, Jesum urbem ingredientem in tabula una exhibet, ita in partes dissecare, quum incommodum est, tum etiam, num recte fiat ex verbis illis *M.* et *L.*,

*) Unum tamen est, in quo *Mt.* et *M.* accuratiores Johanne videntur, dum nomen hospitis ceterum ignoti afferunt, Σίμων ὁ λέπρος. Nescio vero an suspicari liceat, nomen huc transiisse ex narratione Luc. 7, 36. 40, cum nostra fortasse commixta. Cf. *Lücke* Comm. üb. Joh. ad h. l.

Digitized by Google

merito dubitatur, quoniam ea quæ Bethaniæ eo tempore evenerunt, evangelistæ priores h. l. silentio prætereunt.

Imovero, *diversitas major* adest; nam *Mt.*, *M.* et *L.*, de prima nocte Bethaniæ transacta nihil habentes, ita rem referunt, ac si Jesus eodem die quo Bethaniam pervenerit, Hierosolymam mox intraverit; verum ratione temporis evangelia priora non dubitamus ex commentariis *Joh.* corrigere, qui, in his omnibus accuratissimus, Jesum urbem intrasse dicit τῇ ἐπαύριον, postridie quam Bethaniam pervenerit, h. e, d. X Nisan. (d. Solis) *).

Mt. locum propheticum uti solet ex Zacharia interposuit (quem *Joh.* quoque vs. brevius excitavit), ut indicaret, argumentum aliquod dignitatis messianæ neque hac in re deesse; inde vero accidisse videtur, ut asinam et pullum simul adductos esse et, quod mireris, Jesum super utroque (ἐπάνω ἀυτῶν) equitasse tradat, quum reliqui nonnisi pullum commemorent (*M. L.* πῶλον. *Joh.* ὀνάριον) **).

---

*) Hypothesin ingeniosam dd. *Paulus* (comm. III p. 80–82. 89) et *Schleiermacher.* (Schr. d. L. p. 244 f.) proposuerunt: introitum solennem bis a Jesu repetitum esse: *priorem* quippe a Mt., M. et L. describi; tum vero Jesum, postquam Bethaniam vespere redierit (M. 11, 11. Joh. 12, 1—8), postridie *vice secunda* non minus solenniter urbem ingressum esse, de quo Joh. Sed consensus in rebus quibusque momenti gravioris tantus est, ut dubitari vix possit, quin introitus idem apud omnes intelligendus sit (cf. M. 11, 12, ubi introitus solennis hoc altero die nullum profecto vestigium est); neque video cur aliter statuamus, quum narratio de itinere Hierosolym. ita succincta in evangeliis prioribus sit, ut lacunam admittere et sectionem 104tam inter 103 et 105tam interponere commodissimum videatur.

**) Nam versio alex. habet l. l.: ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζυγιον κ. πῶλον νέον — quæ quidem verba, de eodem animali

Digitized by Google

Ceterum narrationes *triumvirorum* accurate conspirant. Pauca sunt, quæ sive *Matthæus Luca* sive hic illo plenius et accuratius descripsit; in his vero singulis *Marcus* ad narrationem eam quæ plenior est stylum composuisse videtur. Ita *cum L.* observat vs. 2 pullum intactum fuisse, atque vs. 6 objectiones factas esse discipulis, quum asinum solvebant, *cum Mt.* vero vs. 8 ramos palmarum abscissos et in viam conjectos fuisse (posito pro eo, quod Mt. habet κλαδούς, nomine specialiore στοιβάδας — Joh. βαΐα τ. φοινίκων); locum etiam, in quo asinum ligatum invenerunt, accurate designat vs. 4: πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου. Sed digna inprimis quæ observetur explicatio paraphrastica est vs. 10: ovationes populi comitantis *Mt.* ita reddidit: ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ...., *L.* autem: ἐυλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς· utrumque *M.* conjunxit et conjunctum ita explicavit: ἐυλογημένη ἡ ἐρχομ. βασιλεία τ. πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ.

Joh. narrationem de asino arcessito omisit — simpliciter habet: ἐυρὼν τὸ ὀνάριον —, sed nexu historico accuratius servato, addit, populum miraculo inprimis Lazari excitati ad acclamationes compulsum fuisse.

Additamentum pulcherrimum apud *L.* solum invenitur vs. 39—44.

---

certe intelligenda, facile tamen de duobus, matre et pullo intelligi potuerunt. Cf. *Schleiermacher* Schr. d. L. p. 246. *Fritzsche* comm. I p. 630.

* * *

Digitized by Google

4.

Dicta factaque Christi Hierosolymæ versantis.

CVI.

Marc. 11, 11—14. Matth. 21, 18. 19.

Christus, Bethaniæ nocte transacta, mane ficum diris devovet.

In devotione ficûs describenda, *Mt. subito* ad increpationem Jesu arborem exaruisse tradit discipulis obstupescentibus, *M.* vero *diei unius spatium* interponit; ita vero, quum *Mt.* diversa rei ejusdem momenta in unum contrahere soleat (cf. sect. 101), quis dubitaverit, narrationem *M.* in distinctione temporum notam veritatis habere?

Tempus devotionis apud utrumque idem est: postridie quam Hierosolymam solenniter intravit (M. vs. 12), h. l. *d.* XI *Nisan* (d. Lunæ), idque mane (Mt. vs. 18), quum hospitio Bethaniensi relicto ad urbem accessit.

M., credo in gratiam lectorum, quibus natura ficûs ignota erat, causam breviter indicat, cur præter folia nihil Jesus in arbore invenerit: *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, h. e. neque ex anno præterlapso fructus residui forte aderant, neque fructus ejusdem anni maturi jam erant.

CVII. *)

Marc. 11, 19—26. Matth. 21, 20—22.

Christus, occasione ficûs arefactæ, fidei effectus prædicat.

Dies XII *Nisan* (d. Martis) adest, in ambulatione matutina Bethaniâ Hierosolymam facta: *Mt.* vs. 17. *M.* vs. 20.

*) De *ejectione mercatorum ex templo* vid. supr. *sect.* 17.

Digitized by Google

M., accuratius distinguens, ad Petrum verba refert, quæ apud *Mt.* indefinite discipulis omnino tribuuntur (alia exempla vid. sect. 43 p. 58. 117 p. 139). Ceterum imago montis transferendi alio quoque loco adest, *Mt.* 17, 20 (sect. 66 p. 86).

Quæ leguntur *M.* vs. 25. 26 *alio nexu* dicta esse, facile apparet; ad locum nostrum parum commode transscripta sunt, certe quod de precibus utrobique sermo est. Apud *Mt.* eadem fere leguntur c. 6, 14. 15.

CVIII.

Matth. 21, 23—32. Marc. 11, 27—33. Luc. 20, 1—8.

Christus sacerdotibus captiose interrogantibus quæstionem et parabolam opponit.

Tempus quod attinet, L., qui in iis quæ proxime præcessere lacunam habet, diem indefinitum reliquit (ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων); sed ex *Mt.* et *M.* dies idem ac in sect. 107ma efficitur o: XI Nisan. Quod quæsierunt autem adversarii: ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; — sine dubio respicit ad ejectionem mercatorum ex templo, quam evangelia tria referunt ad diem præcedentem.

Parabola, quæ apud *Mt.* solum adest, ita cum iis quæ disputata cum Pharisæis sunt cohæret, ut omissionem in *M.* et *L.* ægre certe feramus. Egregie enim eâ tergiversatio sacerdotum perfida et inhonesta (ὃν οὐκ οἴδαμεν) refellitur: "Quum ignorantia in tali re simulari non possit, vos, qui pietatem scrupulosam spondetis et fingitis, dum Johanni B. fidem habere recusastis, mandato divino aperte restitistis, longe pejores hominibus, qui antea forte vitiis apertis in

Digitized by Google

Deum peccarunt, deinde vero ad poenitentiam vocari et duci se passi sunt."

Not. in summo trium narrationum consensu *anomaliam* singularem in M. vs. 32, quum oratio, subito in medio cursu interrupta, in stylum historicum mutatur *).

CIX.

Matth. 21, 33—46. Marc. 12, 1—12. Luc. 20, 9—19.

Parabola de vinitoribus perfidis.

Proposita sine dubio est in loco eodem, iisdem adversariis præsentibus.

In forma parabolæ *diversitatis nonnihil* adest. Mt. enim, numeris uti solet parum accurate observatis, *plures servos* bis emissos esse tradit, modo diverso quo excepti fuerint breviter annotato, vs. 35. 36. M. et L. vero *tres servos singulos* emissos commemorant, in perfidia vinitorum quoque gradationem aliquam notantes: primum vapulantem dimissum, alterum lapidibus percussum ignominiose fugatum, tertium vulneratum et ejectum esse (M. occisum). — *Deinde* verba, quibus clausula imponitur parabolæ, apud Mt. vs. 41 ipsi adversarii, Jesu interrogante, adjiciunt (eodem modo quo supra vs. 31), impudenter quippe dissimulantes se sensum parabolæ intellexisse; aliter vero M. et L., qui verba hæc ad Jesum referunt **). Utra-

*) Exemplum anomaliæ, quam huic oppositam dixeris, vid. Luc. 5, 14.

**) Nam quod affirmat *Kuinoel.* (I p. 591), etiam in M. et L. verba adversariorum afferri, verbo ἔιπον omisso, quæ sequuntur autem apud L. ἀκούσαντες δὲ ἔιπον, de aliis qui adstabant intelligenda esse, contextui aperte repugnat.

Digitized by Google

que tamen relatio aliquo modo conciliari potest, si statuimus, Jesum primum quæstionem proposuisse adversariis (Mt.), sed, quum tacerent illi, ipsum responsum supplevisse (M. L.); tum vero ad exclamationem istorum *μὴ γένοιτο* (ironice: parce quæso verbis male ominatis), Jesum oculis in iis defixis (vs. 17: *ἐμβλέψας ἀυτοῖς*) verbis Psalmistæ pœnas fatales prædixisse; quo facto tandem animi dissimulationem eos deposuisse videmus, vs. 19.

Juvat h. l. etiam observare, *Marcum* eum sibi elegisse ducem, quem narratorem pleniorem esse videbat; communis ei *cum Mt.* est descriptio vineæ vs. 1, et psalmus accuratius excitatus vs. 11, *cum L.* vero servos singulos distinguit (vs. 2—4), atque filium dilectum et unicum fuisse monet (vs. 6), in vs. 12 denique verba videbis *ex utroque* composita. Neque *studii corrigendi exempla* desunt: vs. 1: *ὑπολήνιον* (*Mt. ληνὸν*) — vs. 4: *πάλιν ἀπέξειλε* (*L. προσέθετο πέμψαι*). *λιθοβολήσαντες* (*L. δείραντες*, bis positum vs. 10. 11) — vs. 8: occisum filium ejecerunt ex vinea (*Mt. L.* vineâ ejectum occiderunt). Applicationem Psalmi et parabolæ vero (*Mt.* vs. 43. 44. *L.* vs. 18), utpote minus necessariam, omisit.

CX.

Matth. 22, 1—14.

Parabola de epulo regio.

Parabola, quæ apud L. 14, 16—24 (sect. 86) exstat, cum nostra *et* fundamento fictionis convenit (imagine hospitis invitantis et convivarum tergiversantium), *et* consilio ac argumento; docetur enim, bona regni Messiani omnibus offerri, nemini obtrudi, imo-

Digitized by Google

vero, quum ii, quibus primum oblata fuerint, dono indigni reperiantur, fructum citius ad eos pervenire, qui remotiores videbantur (Cf. Mt. 11, 25). Sed *ut occasio, ita forma et indoles in utraque alia est.* Nam — ut ea, quæ momenti levioris sunt, breviter attingam: in *Mt.* hospitem *regem* esse, epulum vero convivium *nuptiale filii*, de quibus apud *L.* nihil dicitur, atque in fine parabolæ accedere *explorationem*, cui convivæ jam arcessiti subjiciendi sint — apud *L.* homo, qui *bona fide*, ut videtur, se ad Jesum converterat, *admonetur*, curas terrestres et studium acquirendi impedimento plerumque esse, quominus vocationi divinæ morem homines gerant (ἤρξαντο παραιτεῖσθαι), apud *Mt.* vero Pharisæi acriter *perstringuntur*, qui non solum veritati *animum durum* opposuere (οὐκ ἤθελον ἐλθεῖν), verum nuntiis ejus mortem adeo minitarunt (ὕβρισαν κ. ἀπέκτειναν τοὺς δούλους), ipsi supplicia gravissima sibi attrahentes (ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους). Exemplum simile parabolæ ejusdem sub forma duplici tempore diverso exhibitæ habuimus in sect. 103 p. 122 s. *).

Ita vero parabola cum ratione imaginis tum applicatione cum superiore de vinitoribus aptissime cohæret: cf. vs. 3 et 34 — vs. 6 et 39 — vs. 7. 10 et 41; quamquam rectius fortasse statueris, eam non Pharisæis præ-

*) Ex utraque parabola unam fecit *Calvin.* harm. evv. p. 214. Sed *Augustin.* jam recte observavit (de cons. evv. II. n. 139): "Parabolam de invitatis ad nuptias solus Mt. narrat; simile quiddam etiam L. commemorat, sed non est hoc, sicut et ordo ipse indicat, quamvis et illud nonnullam hujus similitudinem gerat." Cf. *Chemnit.* harm. evv. I. p. 365—67. *Paulus* Comm. III p. 218. *Schleiermacher* Schr. d. L. p. 198.

Digitized by Google

sentibus, sed postquam illi abierint discipulis propositam esse, ut maneamus in verbis *M.* 12, 11: ἀφέντες αὐτὸν, ἀπῆλθον). Nam ultima parabolæ pars sectatores Christi aperte respicit: nomen dedisse Christo nondum sufficere, nisi fide et pietate animus imbuatur.

CXI.

Matth. 22, 15—22. Marc. 12, 13—17. Luc. 20, 20—26.

Responsum Pharisæis datum de tributo imperatori solvendo.

Num tentatio hæc cum reliquis quæ sequuntur ad diem eundem ac superiores referri debeat, definiri quidem haud potest; verum ex verbis *Mt.* tamen vs. 15 (τότε πορευθέντες συμβούλιον ἔλαβον) potius crediderim, diem, quo deliberatione habita Pharisæi redierint, alterum esse intelligendum h. e. XIII Nisan (d. Mercurii) *).

Legationem ipsam quod attinet, qui missi sunt exploratores (*L.* ἐγκάθετοι), indicantur a *Mt.* et *M.* Pharisæi et Herodiani; ii vero, a quibus missi sunt, a *Mt.* Pharisæi doctores, a *M.* et *L.* assessores synedrii dicuntur.

Quum Mt. et M. iisdem plerumque verbis utuntur, phraseologia L. sæpius ab illis discedit: ὀρθῶς λέγεις (Mt. M. ἀληθῆς εἶ) — λαμβάνεις πρόσωπον (Mt. M. βλέπεις εἰς πρόσωπον) — φόρον (Mt. M. κῆνσον). Accedunt trina apud singulos verba synonyma: *Mt.* παγιδεύειν ἐν

*) Confirmatur hoc etiam alio loco, *Mt.* 26, 1. 2, ubi sermones qui præcesserunt ad *secundum ante festum diem* (o: d. 13 Nisan.) referuntur: ὅτε ἐτέλεσεν πάντας τοὺς λόγους τούτους ... μετὰ δύο ἡμέρας τὰ πάσχα γίνεται.

Digitized by Google

λόγῳ. *M.* ἀγρεύειν λόγῳ. *L.* ἐπιλαμβάνεσθαι λόγου. — *Mt.* πονηρίαν. *M.* ὑπόκρισιν. *L.* πανουργίαν.

Not. in clausula narrationis acribeiam diversam: *M.* ἐθαύμασαν. *L.* θαυμάσαντες ἐσίγησαν. *Mt.* ἐθαύμασαν κ. ἀπῆλθον.

CXII.

Matth. 22, 23—33. Marc. 12, 18—27. Luc. 20, 27—40.

Responsum Sadducæis datum de resurrectione mortuorum.

Idem dies est, annotante *Mt.*: ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.

Quæstionem casuisticam *Mt.* paulo brevius, *L.* et *M.* uberius expositam dederunt. In verbis Jesu autem alter alteri supplementa affetunt: verba πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς κ. τ. λ. (*Mt.* et *M.*) desunt apud *L.*, qui alia nonnulla solus habet, eaque cum magna interpretationis utilitate; ita verba: ὡς ἄγγελοι s. ἰσάγγελοι explicantur vs. 36: οὔντε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται, et verba: Θεὸς ἔστι ζώντων, vs. 38: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι. Ad verba *Mt.* denique ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ additur vs. 39. 40: legisperitos aliquot (sine dubio ex numero *Pharisæorum* qui adfuisse videntur) *assensum* responso ejus dedisse, neque illos amplius eum interrogare ausos esse.

In singulis autem alia quoque attentione digna sunt: verba *synonyma* variata: *Mt.* ἀποθανεῖν, μὴ ἔχων τέκνα s. σπέρμα, *M.* μὴ ἀφιέναι τέκνα s. σπέρμα, *L.* ἄτεκνος ἀποθανεῖν —; in *Mt.* vs. 24 verbum *Judæis proprium* ἐπιγαμβρεύειν, a reliquis, quippe lectoribus aliis ignotum, *evitatum* —; in *L.* vs. 27 negatio post verbum ἀντιλέγοντες eleganter repetita —; in *M.* vs. 15

Digitized by Google

et *L.* vs. 28 tautologia: *ἐάν τινος ἀδελφὸς . . ἵνα ὁ ἀδελφὸς*, atque ratio S. Scr. ex argumento loci excitandi: *Μωσῆς ἐπὶ τῆς βάτου* (*M.* vs. 26. *L.* vs. 37) —; in *M.* vs. 26 verba *ex Mt. et L. composita: περὶ τῶν νέκρων (ex Mt.)*; *ὅτι ἐγείρονται (ex L.)*, *οὐκ ἀνέγνωτε; (ex Mt.)*.

CXIII.

Matth. 22, 34—40. Marc. 12, 28—34.

Responsum Pharisæo datum de præcepto maximo.

Diversitas mira et singularis h. l. adest. *Mt.* enim Pharisæum inducit ex animi perfidia Jesum interrogantem (*πειράζων αὐτὸν*), neque sine prævia collegarum deliberatione (*συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ*), apud M. vero homo fortuito ut videtur accedit, et, responso quod nuper Sadducæis dederat audito comprobatoque, ipse, ut de re gravissima veritatem cognoscat, quæstionem proponit; verba autem Jesu cum tanta persuasionis sinceritate repetit et repetendo comprobat, ut summa cum laude a Domino dimittatur. Neque id solum, sed quæstio quoque proposita ejusmodi est, ut, quid in ea captiosi lateat, haud facile dixeris; denique offendit, colloquium a *L.* omissum esse, quum in reliquis quæ præcedunt et quæ sequuntur eundem ordinem accurate servatum esse videmus. Ex his omnibus suspicio oritur, quæstionem illam *alio tempore priore* agitatam fuisse, idque ex probo honestoque consilio (cf. Mt. 19, 16 ss.), a Mt. vero hunc in locum inter quæstiones subdolas et captiosas parum accurate transscriptam, a M. eodem in loco servatam quidem,

Digitized by Google

sed ita ut vera ratio ex narratione quodammodo appareat *).

CXIV.

Matth. 22, 41—46. Marc. 12, 35—37. Luc. 20, 41—44.

Christus quæstionem de Messia filio Davidis proponit.

Pharisæis quæstionem propositam esse, *Mt.* verbis disertis affirmat, *L.* non contradicente; quamquam enim verba εἶπε πρὸς αὐτούς videntur ad *Sadducæos*, quorum proxime facta erat mentio, referenda, intelligi tamen potest et debet mixta ex utraque secta legisperitorum multitudo; nam Pharisæos nullos interfuisse priori cum Sadducæis colloquio, neque Mt. vs. 22 vel alio loco dicitur, neque per se probabile est.

Narratio prorsus eadem apud omnes est, nisi quod ipsa quæstio apud Mt. in duo interrogationis momenta resoluta est: τίνος υἱός . . πῶς . . . — *Not.* formulam Mt. et M. communem: Δαβὶδ ἐν πνεύματι.

Successum interrogationis factæ *Mt.* solus indicavit; etenim quod antea apud *L.* vs. 26, *M.* vs. 34,

*) Cf. *Schleiermacher.* l. l. p. 264. — Aliæ explicandi rationes ab *Augustino* (de cons. evv. II. 141) annotatæ sunt: "Fieri potest, ut quamvis *tentans accesserit*, Domini tamen responsione *correctus sit*; aut certe ipsam *tentationem non* accipiamus *malam*, tanquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius, tanquam experiri amplius volentis ignotum." *Priorem* sententiam, præter pp. gr. *Chrysost.* (hom. 71) *Theophyl.* ad h. l., *Calvin. Kuinoel.* al. sequuntur, *alteram* vero *Grot. Paulus.* al. Eos autem, qui diversam omnino in Mt. et M. narrationem esse statuunt, non est sane quod multum moremur.

Digitized by Google

h. l. apud *Mt.* legimus: neminem ab eo inde tempore quæstionibus ausum esse Dominum vexare.

CXV.

Matth. 23, 1—39. Marc. 12, 38—40. Luc. 20, 45—47. 13, 34. 35. Cf. cap. 11 passim.

Christus mores Pharisæorum et Legisperitorum sermone habito perstringit.

Insidiatores postquam ad silentium redacti se subduxerint, Jesum *discipulis populoque præsentibus* addidisse exhortationes, ut exempla pestifera edocti monitique fugerent, hoc loco traditur; atque rem ita evenisse, per se verisimile admodum est. (Cf. c. 16, 6).

At enimvero *orationi longius protractæ* et in diversissima quæque hominum istorum vitia exsurrenti — qualem cap. 23 Mt. exhibet — locus haud ita commodus tempore isto fuisse videtur; et si fuisset etiam, ex tota cap. illius forma et ratione satis apparet, *acanthologiam* adesse ex fragmentis orationum pluribus compositam; quod quum supra in sect. 51 p. 68 ostendere conati sumus, repetere quæ ibi dicta sunt h. l. nolumus. Sufficiat igitur monere, partem cap. nostri longe majorem (vs. 4. 6. 7. 13. 23—36) in cap. 11^mo^ Lucæ nexu commodiore in coena quadam Pharisæi descriptam esse; collationem l. l. institutam vide.

Reliqua (vs. 3. 5. 8—12. 13. 15—22) in vanitatem, ambitionem, proselytos faciendi studium, inque jurando perfidiam Pharisæorum dicta sunt. Accedit (vs. 37—39) *increpatio in Hierosolymitanos*, ex intima mentis commotione profecta; quæ, quamquam apud M. deest, apud L. vero alio loco legitur (c. 13, 34. 35. sect. 85), ad hunc locum certe pertinere vide-

Digitized by Google

tur; nti namque hæc apostrophe aptissime intra muros urbis dicta esse videtur *), ita verba ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας κ. λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους respicere videntur parabolas die eodem paulo ante propositas (c. 21, 35: ἐλιθοβόλησαν. c. 22, 6: ἀπέκτειναν).

Pauca vero quæ in *M.* et *L.* leguntur h. l. cum *Mt.* communia, verbis fere iisdem expressa sunt.

Not. constructionem in *M.* duriorem: θελόντων περιπατεῖν . . καὶ ἀσπασμοὺς, omisso verbo apud *L.* interposito φιλοῦντων.

CXVI.

Marc. 12, 41—44. Luc. 20, 45—47.

Christus munusculum viduæ pauperis collaudat.

Observanda *Marci* in rebus minutioribus describendis diligentiam: καθίσας κατέναντι τοῦ γαζοφυλ. — προσκαλεσάμενος τ. μαθητὰς — explicatio rei monetariæ: λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης· tum quoque, quod *L.* minus accurate posuit: ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα, rectius habet: εἰς τὸ γαζοφυλάκιον.

CXVII.

Matth. 24, 1—42. (Cf. c. 10 passim). Marc. 13, 1—37. Luc. 21, 5—36. (Cf. c. 17 passim).

Oratio Christi prophetica de eversione Hierosolymæ et adventu regni Messiani.

Oratio habita est, quum Jesus templo egressus est, *eodem die* igitur, quo superiora (inde a sect. 111ma fortasse inde a 107ma) in ipso templa disputata sunt.

---

*) Vss. 38. 39 sensum hunc habere videntur: "ecce, templum vestrum jamjam desolatum erit, vòce prophetica

Digitized by Google

Incipit *L.* parum accurate: *τίνων λεγόντων*, *Mt.* autem ad *discipulos* interrogationem refert, et *M.* primum ex numero discipulorum *unum* indicat, deinde *quatuor*: Petrum, Jacobum, Johannem, Andream. Sic quoque *L.* admirationem discipulorum elegantiâ templi operumque pretiositate excitatam esse dicit (*λίθοις καλοῖς κ. ἀναθήμασι*), *Mt.* et *M.* vero mole ac firmitate ædificiorum (*ποταποὶ λίθοι κ. ποταπαὶ οἰκοδομαὶ*), idque congruentius responso Jesu: omnia, ne lapide quidem relicto, destructum iri. Denique interrogatio discipulorum apud M. et L. non respicit nisi interitum urbis futurum (*πότε ταῦτα ἔσαι, καὶ τί τὸ σημεῖον*;) apud Mt. vero duplex ejus constituitur momentum (*πότε ταῦτα καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας κ. τῆς συντελείας τ. αἰῶνος*;).

Argumentum quod attinet, oratio apud *L.* brevius concepta tota fere in *vastatione Hierosolymæ* describenda subsistit. Neque tamen nulla omnino *adventûs Christi* prædictio adest (vs. 27. 31), ut contendere liceat, *argumentum bipartitum*, distinctione eadem facta, commune tribus evangeliis esse, ita vero ut de adventu Christi plura apud *Mt.* servata sint (vs. 29. 31. 37. 39. 42). *Nexus* autem utriusque partis facile intelligitur, quoniam Hierosolymâ vastatâ *vetus rerum ordo*, qui legi mosaicæ et cultui levitico adstrictus fuerat, concidit (*συντελεία τ. αἰῶνος*), *novus* autem, per Christum condendus (*παρ-*

---

deficiente; me certe quod attinet, homines ingratos relinquam, non ante iis reddendus, quam Messiam me divinitus missum agnoverint." Alias interpretationes notatas vid. apud *Kuinoel.* et *Fritsche* ad h. l. De alio autem verborum sensu apud Lucam vid. notata in sect. 85ma.

Digitized by Google

ovσία τ. χρ. vs. 30 ss.) inter, res turbatas atque commotas radices egit *). Itaque, sive quæ apud *Mt.* legimus omnia illo tempore et loco dicta, sive compluria aliunde huc translata sunt, facile tamen concedes, Jesum h. l. de utraque re arctissime conjunctâ verba fecisse.

Neque vero, si *forma* orationis quæritur, dubitandum videtur, quin *alia* h. l. apud *Mt.* consignata ad tempus aliud referenda sint:

vs. 17. 18. 23. 27. 28. 37—39. 40. 41,

quæ leguntur apud *L.* in cap. 17^mo (vid. sect. 91), (quamquam non negamus, nonnulla gnomice ac proverbialiter dicta sæpius a Jesu, eandem rem tractante, repeti potuisse), *alia* vero, quæ a *Mt.* alibi sed minus commode disposita sunt, huc potius trahenda sint, quum apud *L.* et *M.* nexus magis idoneus adsit:

L. vs. 12—15. *M.* vs. 9. 11.	*Mt.* 10, 17—20.
— - 16. 17. 19. — - 12. 13.	— — 21. 22;

Quodsi *tria orationis exemplaria* inter se conferantur, pauca invenies huic vel illi evangelio ita *propria*, ut in duobus reliquis neque hoc neque alio loco reperiantur; sunt autem

Mt. vs. 10—12. M. vs. 33—37. L. vs. 18. 22—24. 28. 34—36.

---

*) Hanc enim *παρουσίαν* et hanc *συντελείαν τ. αἰῶνος* imaginibus poeticis descriptam intelligimus, et intelligendam putamus inprimis propter vs. 34, in cujus explicatione tædet recurrere ad mira interpretationis artificia (vid. *Kuinoel* I p. 674). Sufficiat autem provocare ad *Mt.* 16, 28 (sect. 64 p. 83) *Joh.* 14, 19. 21. 16, 16. 19 al.

Digitized by Google

sed plura sunt, quæ *Mt.* et *M.* *communia* apud *L.* desiderantur:

Mt. vs. 14. . . .	*M.* vs. 10.
— - 20. . . .	— - 18.
— - 22-25. .	— - 20-23.
— - 31. . . .	— - 27.
— - 36. . . .	— - 32.

In omnibus idem rerum tractatarum *ordo* est (excepta trajectione quadam minoris momenti: *L.* 13—16 et *M.* 9—12 cf. *Mt.* 9—15); in locis nonnullis etiam *consensus verborum* fere singulorum adest:

Mt. vs. 4-7. . .	*M.* vs. 5-8.	*L.* vs. 8-10.
— - 9. . . .	— - 13 . .	— - 17.
— - 19. . . .	— - 17. . .	— - 23.
— - 33-35. .	— - 29-31.	— - 31-33;

frequentior autem in *Mt.* et *M.* consensus est, quum *L.* suis utitur verbis; ex. gr.

Mt. vs. 13. . . .	*M.* vs. 9. . . .	Cf. *L.* vs. 19.
— - 17. 18.	— - 15. 16.	— — - 21.
— - 29. . . .	— - 24. 25.	— — - 25. 26.
— - 32. . . .	— - 28. . . .	— — - 29. 30.
— - 15. . . .	— - 14. . . .	— — - 20;

in loco proxime excitato τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἐν τόπῳ ἁγίῳ, in *Mt.* et *M.* obscurius dictum, apud *L.* explicatur: κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσ.

Ut de singulis quædam addantur, *not. Mt.* vs. 15: locum propheticum (Dan. 9, 27) pro more solito allatum — *M.* vs. 14: euphemismum ἑστὼς ὅπου οὐ δεῖ (*Mt.* ἐν τόπῳ ἁγίῳ) — *M.* vs. 19. 20: pleonasmum: ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς . τοὺς ἐκλεκτοὺς, οὓς ἐξελέξατο — *M.* vs. 24: ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις (unde explicandum *Mt.* ἐνθέως) *M.* vs. 32 add. οὐδὲ ὁ υἱὸς.

Digitized by Google

CXVIII.

Matth. 24, 43—25, 46. (Cf. Luc. 12, 39—46).

Argumentum orationis superioris parabolis illustratum.

Sectionem novam facimus, quamquam nexu interno et externo cum priore intime conjunctam, quum pars orationis, nova forma o: parabolica induta et *Mt.* maximam partem propria, hinc incipiat.

De *parabola prima* (c. 24, 45—51), ad tempus aliud ut videtur referenda, vid. ad *L.* 12, 39 ss. (sect. 52 p. 71); *tertiæ* vero (c. 25, 14—30) collationem cum parabola simili apud *L.* (c. 19, 11—28) dedimus in sect. 103^tia^ p. 122 s.

In hac autem orationis parte sermonem videmus *ultra fines vitæ humanæ* progressum ad *judicium* describendum, hominibus in fine rerum olim exspectandum. Neque transitus ille sermonis difficilis adeo erat, quum Jesus, de reditu suo, de judicio, de resurrectione verba faciens, *amphiboliam* aliquam verborum amasse videatur, ut verbis iisdem res præsentes in terris inque coelo futuræ, res physicæ et spirituales designentur et describantur, quo magis appareat analogia aliqua rerum interna *). Ita h. l., quum de magna rerum humanarum mutatione, de ecclesia sua condenda paulo ante locutus est, subito ad ultimam rerum catastrophen, ad beatorum in coelo societatem describendam fertur, quamvis transitu illo verbis disertis non annotato.

---

*) Exemplum classicum hujus loquendi rationis vide sis Joh. 5, 21—29.

Digitized by Google

CXIX.

Joh. 12, 20—50. Add. Luc. 21, 37. 38.

Christus de morte sua, signo coelesti interveniente, loquitur.

Tempus accuratius quidem definiri non potest, sed ex verbis ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ apparet tamen, diem fuisse ante festum Paschatis proximum. Quare, ne ordo rerum in evangeliis prioribus narratarum turbetur, commodissimum videtur sectionem ad hunc locum referre.

A vs. 37 inde nonnulla a *Joh.* observata sunt de exiguo successu, quem Jesus in tanto miraculorum numero habuerit, addita brevissima quadam institutionis summa, qua Jesus auctoritatem suam divinam obtestari solebat.

Verba *Lucæ* autem c. 21, 37. 38 hîc aptissime interponuntur, quibus ratio vivendi Jesu per proximos ante festum Paschale dies breviter describitur: "ἦν δὲ τὰς ἡμέρας ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων· τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ἠυλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν, ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ."

CXX.

Matth. 26, 1-5. 14—16. Marc. 14, 1. 2. 10. 11. Luc. 22, 1-6.

Synedrium de Christo interimendo deliberans cum Juda proditore tractat.

Dies negotiationis pro certo indicari nequit; nam *L.* indefinite loquitur (ἤγγιζε ἡ ἑορτὴ), *M.* distinctius quidem (ἦν τὸ πάσχα μετὰ δύο ἡμέρας), sed hæc ipsa verba ex *Mt.* sine dubio descripta sunt, et num recte dubito, quum apud Mt. non tam ad deliberatio-

Digitized by Google

nem synedrii pertineant quam ad prædictionem Jesu; inter utramque vero particula τότε intercedit satis indistincte posita.

Narratio *Mt.* reliquis accuratior est: vs. 3 locus concilii habiti indicatur, vestibulum Caiphæ, et vs. 14 summa pecuniæ, xxx sicli. — Apud *L. not.* formulam εἰσῆλθε Σατανᾶς (vs. 3, cf. *Joh.* 13, 2), atque nomen οἱ στρατηγοὶ (sc. τοῦ ἱεροῦ) *) conjuncti cum οἱ ἀρχιερεῖς. — *M.* in parte sectionis priore ad *Mt.* propius accedit (vs. 1. 2), in altera vero ad *L.* (vs. 11); *not.* quoque vs. 1. nomina τὸ πάσχα κ. τὰ ἄζυμα, composita ut videtur *ex Mt.* (τὸ πάσχα) et *L.* (ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων).

CXXI.

Matth. 26, 17—20. Marc. 14, 12—17. Luc. 22, 7—14. Joh. 13, 1.

Christus epulum paschale parari jubet.

Observationes chronologicæ.

Diem, quo cœna paschalis Jesu ejusque discipulis parata fuerit, ita *M.* et *L.* definiunt, ut dubitare nullo modo liceat, tempus solitum usuque Judæorum sacro constitutum (vesperam inter d. XIV et XV Nisan ɔ; vesperam d. Jovis), indicatum esse, nisi vim apertam verbis inferre velis; nam verbis *M.* τῇ πρώτῃ τ. ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον (sc. οἱ Ἰουδαῖοι) et *L.* ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, quid tandem clarius et distinctius dici potest?

Neque vero minus clare et distincte tempus apud *Joh.* indicari videtur ab hora solenni diversum, ve-

*) Cf. 2 *Chr.* 35, 8. *Act. App.* 4, 1. 5, 24. 26.

Digitized by Google

spera proxime præcedens: c. 13, 1. 2: πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα .. δείπνου γενομένου, cf. 18, 28: ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα (itaque nondum comederant).

Nulla interpretibus gravior crux est, neque mirum, quod difficultas tanta visa nonnullis est, ut de ea tollenda prorsus desperaverint *) Verum enimvero, ut evangelistæ inter se dissentire videntur, ita vix et ne vix quidem credibile est, eos hac in re dissentire potuisse; cœna namque est a Jesu postrema cum discipulis habita, ritus sacer est apostolis præsentibus a Domino institutus, designatio Judæ proditoris prima et diserta est; hæc omnia vero quomodo putaveris non ita in animis alte infixa fuisse, ut memoria vel stylus nullo modo fallere et a tempore, quo memorabilius nullum, aberrare potuerit.

I. Si, quod plerisque visum est **), rationes temporis *ex commentariis Joh.* constituere velis, ita ut Jesus pridie quam Judæi cœnam habuerit (non quidem, ut institutum Karæorum sequeretur, sed quod neque morem Judæorum observare necessarium duxit, neque fortasse satis tutum existimavit, sacra solennia ritûs in diem alterum differre), fatendum est, multa facilius fluere. Nam si Jesus cœnam uno die antecipaverit (c. 13, 1: πρὸ τῆς ἑορτῆς ɔ: d. XIII Nisan exeunte), cruci affixus est d. XIV Nisan, quo solennia paschalia præparabantur (c. 19, 14. 31: παρασκευὴ τοῦ

*) *Winer* bibl. Realwörterb. II p. 509. *Theile* (n. krit. Journ. v. Winer u. Engelhard. 2r. u. 5r. B. *Fritsche* comm. ad h. l.

**) *Clem. Al.*, *Apollinar.*, *Hippolyt.* (vid. chron. pasch.) *Calvin.* (harm. evv. p. 383). *Osiand.*, *Chemnit.*, *Gerhard.*, *Casaub.*, *Ernesti.*, *Tittmann.*, *Kuinoel.*, *Hug.*, *Usteri* (commentat. crit. de cœna ultima J. Chr. p. 39) al.

Digitized by Google

πάσχα), ideoque Judæis haud licebat domum romanam intrare (c. 18, 28); ipso vero die Paschatis primo, videlicet d. sabbati (c. 19, 31: μεγάλη ἡμέρα τ. σαββάτου), in sepulcro jacebat. Ita proinde objectio evitatur gravissima: sanctitatem festi paschalis supplicio Jesu aliorumque violatam fuisse; provocant quidem ad exemplum hominis propter legem sabbati violatam die sabbati lapidibus obruti (Num. 15, 32—36), monentes etiam diebus festis minorem hoc nomine sanctitatem quam sabbatis concessam fuisse, cf. Joh. 7, 37. 44. 10, 22. 31. Act. 12, 3. Sed aliud est, sive reos interrogare et custodiæ tradere, sive etiam propter honorem sabbato detractum supplicium ilico exigere, aliud ob crimina quæcunque alia commissa vel ficta homines ad supplicium rapere et sanguinem effundere. Constat vero, festi paschalis diem primum et ultimum honorem sabbati habuisse (Num. 26, 18. 25. Deut. 16, 8). Nisi forte dixeris, distingui posse et debere Judæos supplicii auctores, atque Romanos qui supplicium paraverint et exegerint.

Verum enimvero illorum nihil admitti potest, salva evangeliorum reliquorum auctoritate, quippe quæ huic temporis ordini nullo modo accommodari possint. Dicunt quidem, formulam ἐν τῇ πρώτῃ τ. ἀζυμῶν explicandam esse ex ratione inter Judæos recepta, qui diem numerabant ex vespera una ad alteram; itaque, quum epulum paschale in confinio dierum XIV et XV Nisan (בֵּין הָעַרְבַּיִם) celebraretur, ut ad d. XIV Nisan ceu primum festi diem referri posset, coenam etiam vespera præcedente habitam, utpote d. XIVto jam incepto, potuisse ad diem eundem referri. Et hoc, quamquam justo durius certe, ferri fortasse potuit, si præter verba: ἐν τῇ πρώτῃ τ. ἀζ.

Digitized by Google

nihil exstaret; sed omnino repugnat, quod apud M. et L. tempus coenandi lege constitutum expressis verbis indicatur: *ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.*

II. Quodsi vero *ex testimonio trium evangeliorum* statuere placet, Jesum d. XIV Nisan exeunte coenam habuisse *), objectiones quidem ex Joh. complures tibi occurrunt, neque sic tamen, ut ad eas nihil responderi possit:

1. *Joh.* 13, 1: *πρὸ τῆς ἑορτῆς.* — Sed responderit aliquis, Joh. secutum esse usum Græcorum Romanorumque, qui in singulis mensium diebus distinguendis initium diei a nocte media numerabant, ut festi paschalis initium a nocte inter d. XIV et XV Nisan media repetierit, coenam vespertinam igitur d. XIV Nisan ad *τὸ προεόρτιον* retulerit **). Nisi forte facilius videtur, verba *πρὸ τ. ἑορτῆς* non ad *ἀγαπήσας* referre, sed ad *εἰδὼς*, ut universalius dicta sint de tempore mortis fatali jam ante festum a Jesu præviso et cognito.

2. *Joh.* 18, 28: *ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.* — Sed licet fortasse *τὸ πάσχα* h. l. intelligere non agnum paschalem, sed cibos paschales omnino, jubente lege certo modo præparandos, inprimis panes infermentatos ***), idque ut videtur eo facilius, quod con-

---

*) Eodem redit, quod observat *Chemnit.* harm. evv. II. p. 982: Judæos distinxisse computationem temporis ecclesiasticam a vespera numerandam, et civilem a media nocte, unde diem XIV Nisan et dici potuisse *την πρωτην τ. ἀζ.* et *προ τ. ἑορτης.*

**) Ita *Baron.*, *Lightfoot.*, *Rus.*, l. l. II p. 495 ss. *Bengel.* Harm. d. Evv. p. 501. 544. *Paulus.*, *Lücke.*, *Tholuck* al.

***) *Levit.* 23, 5. 6: "die XIVto inter vesperam utramque pascha Jehovæ est; — die XVto festum panum infer-

Digitized by Google

jungitur cum verbo φάγειν, neque ut apud M. et L. cum verbo θύειν.

3. *Joh.* 19, 14. 31: παρασκευὴ τ. πάσχα. — Videtur autem hoc nomen non diem indicare ad festum paschale præparatorium, sed (quum παρασκευὴ absolute posita dies prosabbaticus s. Veneris sit, Mt. 27, 62. M. 15, 42. L. 23, 54) formula h. l. non incommode explicatur ἡ παρασκ. τοῦ σαββάτου τοῦ πάσχα s: dies Veneris hebdomadis paschalis.

Ex iis quæ disputata sunt apparere videtur, tempus coenæ habitæ ita distincte in tribus evangeliis prioribus indicatum esse, ut verba neque ambigue sonent neque accommodationem ullam admittant, apud Joh. vero non ita descriptum esse, ut de sensu verborum deque ratione conciliandi disputari non possit. Accedit etiam argumentum historicum, ex quo conjicere licet, Johanni nescio quomodo accidisse, ut verba ab evangeliis reliquis dissentiant, quum ipse dissentire noluerit. Certe quod *Eusebius* tradit (H. E. V. 24), in disputatione de tempore festi paschalis constituendo *Polycarpum discipulum Johannis* cum ecclesiis Asiæ minoris d. XIV^mum ceu justum et legitimum ex more Judæorum defendisse, et ad auctoritatem Johannis hoc nomine provocasse, ostendere videtur, Johannem quod voluerit haud satis accurate et distincte litteris scriptis indicasse, quum illo vitæ et usûs exemplo testimonium trium evangeliorum potius quam suum confirmasse videatur.

*

mentatorum Jehovæ est; per septem dies panes infermentatos comedatis." — Explicationi aliorum de sacrificio paschali (חַגִּיגָה) verbum φάγειν repugnare videtur.

Digitized by Google

Rem apud *Mt.* succincte narratam esse, quum ex collatione evangeliorum constat tum etiam ex ipsa narrandi ratione; quanquam enim forma colloquii servata est, non verba singula, quibus usus est Jesus, adsunt sed breve aliquod verborum compendium. Ita in vs. 18 (ὑπάγετε πρὸς τὸν δεῖνα) non tam Dominum loquentem quam Evangelistam narrantem habemus *), cujus verba sic fere resolvenda erunt: "jussit discipulos abire ad urbem et virum quærere, qui nobis omnibus ita notus est, ut nomen h. l. indicare haud opus sit." Singula igitur quomodo evenerint, ex *L.* et *M.* cognoscitur; ille vero in nonnullis accuratior, mandatum Jesu præcedere fecit interrogationem discipulorum, atque nomina Petri et Johannis attulit, quum *M.* duos modo indicat discipulos, *Mt.* autem discipulos omnino, numero nominibusque omissis.

CXXII.

Luc. 22, 14—18. 24—30.

Christus contentionem discipulorum ambitiosam dirimit.

Mirum videri possit, inter apparatus coenæ ultimæ solennis cum Domino instituendæ animos discipulorum studio vanitatis exili et ignobili occupari potuisse, ut suspicari etiam aliquis posset, narrationem (cui similes aliæ aliis locis reperiuntur, *L.* 9, 46—50. *Mt.* 20, 20—28 sect. 69. 100) aliunde huc incommode translatam esse, præsertim quum neque tempus h. l. verbis disertis annotatum sit, neque nexus aliquis cum

*) Cf. *Augustin.* de cons. evv. II. 157: "non ex Domini, cujus mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit, ne haberet necesse totum dicere."

Digitized by Google

iis quæ præcedunt et quæ sequuntur adsit *). Atvero quum animi discipulorum ab omni supplicii exspectatione alieni fuere (vid. M. 9, 32. L. 9, 45. p. 88), tum vero nexus adest isque arctissimus cum narratione Joh. de *pedilavio symbolico* inter coenam peracto, ita ut sine narratione nostra deesset ratio historica, qua Jesus proxime adductus fuerit, ut vanam honoris cupidinem exemplo insigni perstringeret. Quid! quod verba exhortationis vs. 25—27 argumento simillima iis sunt, quæ apud Joh. vs. 13—17 leguntur; atque quum in vs. 27^mo^ opponuntur sibi ὁ ἀναχείμενος et ὁ διακονῶν (h. e. ipse Jesus: "ἐγὼ εἰμι ἐν μέσω ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν"), nonne digito quasi monstratur ministerium illud servile, discipulis accumbentibus a Domino præstitum?

Eventum huncce vero quod ad *initium epuli* referimus, in eo quidem a *L.* recedimus, sed jure nostro sine dubio; non solum quia prorsus incredibile est, postquam coena sacra, viva mortis instantis imago, instituta fuerit, nebulas ambitionis ex apostolorum animis non aufugisse, verum etiam quia in narratione *L.* de coena sacra ordinem temporis in aliis quoque rebus turbatum esse videmus; exempla mox habebimus. Neque nexus deest inter vs. 18 et 24 intimus et facillimus; certe enim, si verba Jesu de adventu regni coelestis (vs. 16. 18) ad litteras intellecta fuerint, facile oriri inter discipulos disceptatio potuit, quemnam locum in eo singuli occupaturi essent. Cf. *L.* 9, 46 ss. (sect. 69).

---

*) Ita *Schleiermacher* l. l. p. 283. *Paulus* d. Leben J. II p. 152.

Digitized by Google

Vs. 25 et 26 occasione simili et verbis paululum diversis leguntur apud *Mt.* 20, 25—27, atque vs. 30 apud Mt. 19, 28 (sect. 100. 95); versimile autem est, imagines illas plus semel adhibitas esse. Nexus certe etiam h. l. non incommodus est: "de primatu vana disputatio est, imovero vos omnes, qui fidem constanter servaveritis, insignis manet in sedibus beatorum locus."

CXXIII.

Joh. 13, 2—17.

Christus pedes apostolorum lavat, explicatione addita.

Actus symbolicus, isque ut videtur non tempore sueto ante coenam susceptus, sed, quo magis vis religiosa appareret, inter epulum ipsum (vs. 2: *δείπνου γενομένου*. vs. 12: *ἀναπεσὼν πάλιν*), ut, virtute humilitatis imagine pulcherrima monstrata, apostolos a studio vanitatis avocaret et ad ritum caritatis sacrum et solennem pia castaque mente excipiendum præpararet.

Vs. 16 ("non esse infra dignitatem discipuli exemplum magistri sequi"), apud Mt. 10, 24 et L. 6, 40 (vid. sect. 37 p. 49) *alio sensu* exstat: "discipulo non sortem lætiorem exspectandam esse, quam habuerit magister."

CXXIV.

Matth. 26, 21—25. Marc. 14, 18—21. Luc. 22, 21—23. Joh. 13, 18—30.

Christus proditorem sui inter epulum designat.

In evangeliis prioribus *dissensus aliquis* est; apud *L.* enim Jesus sacram coenam *ante* instituit, quam verba de proditione fecit, ordo inversus autem apud

Digitized by Google

Mt. et M. est *); et hoc certe rectius, suadente ipsa rei natura, ne dicam, Matthæo testi oculari *fidem* hac in re potius habendam esse; nam quomodo credibile *est*, Jesum in numero fidelium adspectum perfidi istius sustinuisse, neque potius verborum aculeo eum *remo* visse, ut solus cum hominibus sanctis sancta tractaret **).

Observandum quoque est, hæc omnia *L.* nonnisi levi celerique stylo attigisse; nam quod *gravissimum* est, ipsum Judam a Domino denotatum esse, silen*tio* præteriit. *Marcus* ne in singulis quidem verbis a Mt. recedit, paucissimis quibusdam exceptis, in quibus stylum *correxisse* videtur: vs. 19: ἷς καθ' ἷς (Mt. ἕκαστος ἀντῶν) — vs. 20: εἰς τὸ τρυβλίον (Mt. ἐν τῷ τρυβλίῳ).

Sed quanto Matth. Luca accuratior est, tanto *Johannes* reliquis, ut ex commentariis ejus narratio et suppleri et corrigi debeat: vs. 18—20 cursus oration*is* describitur, quo sensim sensimque Jesus delatus est ad Judam verbis designandum ***) — vs. 23—25 inter*posita*

---

*) Non audiendi sunt, qui, ut concordia efficiatur, cœnam hancce ab epulo paschali distinguant, referentes *ad* vesperam præcedentem (*Bengel* harm. p. 489); nam apud Joh. omnia ita ad tempus unum referuntur, ut locus subsistendi et distinguendi nullus omnino supersit, vid. 13, 30. 31. 14, 13. 17, 1. 18, 1.

**) Cf. *Calvin* harm. p. 381. *Paulus* comm. III p. 545, 46. *Lücke*, *Tholuck* ad h. l. Contrarium statuunt, putantes, Judam institutioni coenæ sacræ interfuisse, Mt. et M. per antecipationem vero colloquium Jesu cum Juda retulisse, *Chemnit.* harm. II pag. 1121. *Rus.* harm. III p. 756 ss. al.

***) Vs. 18, abrupte paululum positus, aut ad vs. 17 referendus est ("non omnes affirmare audeo fideles *mihi* et

Digitized by Google

est de Petro et Johanne narratio — vs. 26 Jesus ipse buccellam Judæ dedisse dicitur (neque, ut Mt. et M., tantummodo in patinam eodem tempore cum Juda manum intigisse) — vs. 30 additur, Judam, accepta buccella, subito exiisse.

CXXV.

Matth. 26, 26—29. Marc. 14, 22—25. Luc. 22, 19. 20.

Christus coenam sacram instituit.

Tempus indicatur a *Mt.* et *M. inter epulum* (*ἐσθίοντων αὐτῶν*), a *L.*, poculum certe quod attinet, *epulo peracto* (*μετὰ τὸ δειπνῆσαι*), sive, ut utrumque concilietur, sub finem epuli dum ad mensam adhuc accumbebant.

De verbis singulis hæc notato:

Mt. et *M.* accurate conspirare (in usu synonymorum etiam: *ἐυλογήσας* de pane, *ἐυχαριςήσας* de poculo), exceptis paucissimis a Mt. adjectis: vs. 26: *φάγετε.* vs. 28: *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* —

L. alia addidisse (vs. 19: *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*), *alia* aliter dixisse, idque sic ut cum relatione Pauli (1 Cor. 11, 24. 25) omnino consentiant —

apud omnes scriptum esse: *τοῦτό ἐςι τὸ σῶμά μου*, non *ὄντος* (sc. *ὁ ἄρτος*) —

verba *λάβετε - φάγετε - πίετε* non pertinere ad *σῶμα* et *αἷμα*, sed ad *ἄρτον* et *ποτήριον* —

---

per fidem beatos futuros esse; nam, ut indoles reliquorum cognita mihi et probata est, ita scio unum perfidum proditorem esse"), — aut ad vs. 11: "absit ut omnes impuros dicam; imo sic ipse in culpa forem; certe in vobis eligendis haud temere egi; sed quod unus exspectationem fallit, accidit" cet.

Digitized by Google

formulam apud Mt. et M. obscuriorem τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης lucem habere ex L.: ἡ καινὴ διαθ. ἐν τῷ αἵματι sc. διατιθέμενη s. σφραγισθεῖσα (Cf. Hebr. 9, 15—20).

Verba Mt. vs. 29, M. vs. 25 apud L. loco superiore ante coenam sacram institutam leguntur.

CXXVI.

Matth. 26, 30—35. Marc. 14, 26—31. Luc. 22, 31—38. Joh. 13, 31—38.

Christus lapsum Petri prænuntiat.

Mt. et *M.* lapsum Petri prædictum esse tradunt *inter ambulandum*, quum Jesus triclinio relicto ad montem olivarum abiit, *L.* et *Joh.* vero *intra parietes coenaculi*, ex quo serius tandem cum discipulis exierit (L. vs. 39, J. 18, 1). Multis itaque visa est prædictio utraque ratione temporis distinguenda, inprimis quum prædictionis ipsius diversitas aliqua sit *); nam quod apud *L.* et *Joh.* de Petro solo prædictum est, apud *Mt.* et *M.* ad apostolos omnes extenditur.

At vero, Petrum semel admonitum, vix horis aliquot interjectis ad tantam jactantiæ temeritatem rediisse, quis facile credat! Accedit quod ipsa rei narratio apud *Mt.* et *M.* ita succincta est, ut successione temporis haud servata subito nos in rem mediam rapere videatur; quis enim putaverit, Jesum sine ulla occasione mox de omnibus apostolis exclamasse: πάντες ὑμεῖς σκανδαλισθήσεσθε. Longe accuratius *L.* et *J.*, quo-

*) Ita, præeunte *Augustino* (de cons. evv. III n. 5), plerique harmonistæ antiquiores, *Chemnit.* (II p. 1184), *Osiand. Rus* (III p. 778 ss.), *Bengel.*; quibus assensus est d. *Paulus* comm. III p. 598 d, Leben J. II p. 191.

Digitized by Google

rum unus plura descripsit tum Petro tum reliquis apostolis a Jesu dicta, alter vero primum sermonis initium servasse videtur; itaque ex commentariis utrisque compositis harmonia probabilis efficitur: Quæ apud Joh. vs. 31—35 Dominus de morte sua proxime imminente locutus est deque officio amoris mutui, pectus spirant post coenam sacram institutam sensibus adhuc vehementius commotum; verbum ὑπάγειν Petro occasionem dedit interrogandi animique fortitudinem jactandi (vs. 36); hîc igitur locum commodissimum habent, quæ apud L. vs. 31, 32 dicta sunt ad exhortationem constantiæ, accedente denique, ut jactantiæ Petri occurreret, lapsûs prædictione (L. vs. 33, 34. J. vs. 37, 38). Tum vero longius Jesus excurrit ad persecutiones quæ discipulos manebant describendas (verbis L. propriis, vs. 35—38); quæ dum rerum futurarum providus secum animo volutabat, verba male ominata ad apostolos omnes extendit (Mt. vs. 31. M. vs. 27). Ita vero si res se habet, Mt. et M., qui orationes Jesu ultimas breviter absolverunt, ut ad historiam passionis celerius pervenirent, etiam in paucis quæ memoriæ prodita sunt, tempus et locum parum accurate observasse videntur.

Mt. et *M.* accurate inter se conveniunt. Observandum tamen, in ipsa prædictione, quæ apud omnes iisdem fere verbis exprimitur, M. ad verba πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι - addidisse δὶς, quod sequenti τρὶς respondet.

CXXVII.

Joh. cap. 14. 15. 16. 17.

Consolationes, exhortationes, promissiones, preces Jesu.

Discipulis dictæ adhuc accumbentibus, vid. 14, 31: ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν — 18, 1: ταῦτα εἰπὼν ἐξῆλθε.

Digitized by Google

Pars Tertia.

De Passione Et Morte Jesu Christi.

CXXVIII.

Matth. 26, 36—46. Marc. 14, 32—42 Luc. 22, 39—46. Joh. 18, 1.

Passio Christi in horto Gethsemane.

Locus indicatur *Joh.* 18, 1: hortus ultra Kedron torrentem situs, *nomen* apud *Mt.* et *M.*; *tempus* nocturnum ex *Joh.* 13, 30 efficitur.

Narrationem *Mt.* accuratissimam *M.* secutus est, omissa tamen precatione secunda et tertia; ab his autem *L.* diversus est, qui triplex narrationis momentum in unum contraxit, et quæ apud *Mt.* et *M.* de tribus apostolis leguntur, de omnibus narravit; accedit anxietatis animi descriptio graphica et angelophania *); accuratius quoque, quod *Mt.* et *M.* habent προελθὼν μικρὸν, definivit: ἀπεσπάσθη ὡσεὶ λίθου βολήν.

Not. phraseologiam quod attinet, apud *M.* vs. 36: nomen syrochald. ἀββᾶ (cf. 5, 41), vs. 41: verbum ἀπέχει ὁ: ἰκανόν ἐστι (satis jam actum est, alea jacta est **), — apud *L.* vs. 42: constructio elliptica (εἰ sine apodosi, cf. c. 19, 42).

*) Cf. *Schleiermacher* d. Schr. d. L. p. 288.

**) Alias verbi explicationes vide ap. *Kuinoel.* et *Paulum* ad h. l.

Digitized by Google

CXXIX.

Matth. 26, 47—56. Marc. 14, 43—52. Luc. 22, 47—53. Joh. 18, 2—12.

Christus hostibus a Juda traditur.

Inter *Mt.* et *M.* summus narrationis consensus est, nisi quod M. in historicis magis subsistens omisit verba Jesu (Mt. vs. 52—54), adjecit vero de juvene aufugiente narratiunculam, vs. 51. 52.

L. quamquam illis brevior est, additamenta tamen nonnulla habet: vs. 48 et 53: verba Jesu — vs. 50: τὸ ὄνς τὸ δεξίον — vs. 51: de aure a Jesu sanata. — Plura inveniuntur apud *Joh.* addita, partim argumenti *historici* (vs. 2: hortum Geths. sæpius a Jesu et discipulis frequentatum fuisse — vs. 3: lucernas et lampades allatas — vs. 10. 11: nomina Petri et Malchi), partim *religiosi*, quum tradit, Jesum, qui futura omnia prævideret (cf. 2, 24. 25. 16, 30), sponte se hostibus obtulisse, idque non sine vi miraculi, ut adspectu ejus obstupefacti humi procciderent. Verisimile autem est, inter tenebras, armorum strepitum hominumque turbas osculum Judæ non suffecisse, ut a reliquis qui adstabant dignosceretur, ideoque Jesum ultro prodiisse, ut vim hostilem a discipulis facilius arceret.

Inter eos qui emissi fuerint ad Iesum capiendum, parum probabile afferuntur a *L.* vs. 52 ipsi ἀρχιερεῖς κ. πρεσβύτεροι, quum *Mt.* et *M.* nihil habent nisi ὄχλος πολὺς, *Joh.* autem accurate distinguit τοὺς ὑπηρέτας (cf. 7, 45. apud *L.* στρατηγοὺς τ. ἱεροῦ ɔ: levitas excubias templi agentes) et τὴν σπεῖραν cum chiliarcho ɔ: milites romanos (cf. Mt. 27, 27. Act. 10, 1. 21, 31).

Not. apud *M.* vs. 43. 45: vocab. ἐνθέως (cf. sect. 25 p. 24) — vs. 44: vocab. distinctius quod hoc

Digitized by Google

uno loco exstat, σύσσημον (Mt. σημεῖον) o: signum, de quo antea convenit.

CXXX.

Matth. 26, 57. 58. 69—75. Marc. 14, 53. 54. 66—72. Luc. 22, 54—62. Joh. 18, 13—27.

Christus ad Annanum et Caipham ducitur. Petrus se Christum novisse negat.

Evangelistæ priores *de Annano* atque de Jesu ad eum deducto *nihil* retulerunt, credo quia hoc ad exitum rei haud multum contulisse putabant; unde factum est, ut *abnegationem Petri ad ædes Caiphæ* referrent. Verum ne sic quidem omnino inter se conveniunt; *primum* enim ex narratione L. dixeris, Petrum *in loco eodem* substitisse, quum Mt. et M. tradunt, eum mutasse locum inque *atrium exterius* se contulisse; *deinde* quæstionem secunda vice M. ab *eadem ancilla* (ἡ παιδίσκη πάλιν) ac anteá, Mt. ab *alia* (ἄλλη), L. a *viro quodam* (ἕτερος) propositam esse tradunt; quæstionem tertiam *denique* Mt. et M. ad *plures* qui adstabant, L. ad *virum unum* (ἄλλος τις) referunt *).

In his inter se conciliandis Evangelii *Joh.* usus egregius est, qui, ea referens quibus ipse testis interfuerat, missionem Jesu ad Annanum adjecit, et abnegationem Petri loco suo interposuit, vid. vs. 15. 16. 25. Quid! quod narratio Joh. ita composita est, ut distinguere videatur, quæ ipse in atrio evenisse viderat, et quæ de interrogatione Jesu in penetralibus interioribus habita ex aliis acceperat. Nam narratio de Petro vs. 18 inter-

*) Neque defuere qui, ut hæc omnia inter se conciliarent, ineptissime fingerent, Petrum septies abnegasse Christum (*Osiand.* al. vid. *Chemnit.* harm. II p. 1793).

Digitized by Google

rupta continuatur vs. 25 (verbis iisdem repetitis ἐχῶς κ. θερμαινόμενος) *); reliqua per parenthesin quasi interposita sunt, temporis ratione habita, ut constaret, abnegationem secundam et tertiam in loco quidem eodem sed paulo serius evenisse, dum interrogatio institueretur eâque finitâ transitus ad Caiphan pararetur. Ita vero optime intelligitur, quod L. observat, Jesum tertia vice conversum oculis inspexisse Petrum, videlicet quum per atrium ex domo Annani educeretur **). Neque minus accurate designat, qui Petrum trina vice interrogaverint: vs. 17: ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρὸς — vs. 25: plures qui adstabant ἔιπον — ibid. εἷς ἐκ τῶν δούλων τοῦ ἀρχιερέως.

Singula quod attinet, *Marcus* pede pressiore Mt. sequitur, omisso tamen Mt. vs. 72 μεθ' ὅρκου, adjecto vero gallicinio bis repetito (vs. 68) secundum verba Jesu (vs. 30. 72), — *Lucas*, plerumque brevior, vs. 59 tempus accurate definivit: διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς.

---

*) Ob hanc ipsam verborum repetitionem nescio quomodo multi statuant, scenam mutatam esse, ut abnegationem primam ad ædes Anani, secundam et tertiam ad Caiphæ relatam velint.

**) Cf. *Paulus* Comm. III p. 633, 37. *Schleierm.* l. l. p. 289. *Saunier* l. l. p. 146. *Hug.* Einl. II p. 201. Plerique tamen concordiam efficiunt, Johannem ex tribus reliquis corrigentes, dum statuunt, verb. ἀπέστειλεν (vs. 24) vertendum esse per plusqu. (ɔ: "jam antea miserat"), omnia igitur inde a vs. 15 narrata in domo Caiphæ evenisse (ita *Calv.* comm. in Joh. ad h. l. *Chemnit.* harm. II p. 1793, *Kuinoel. Lücke. Tholuck.*). Sed, ne moneam, quam dura transpositio hæc sit, nihil iniquius videtur, quam Johannem, qui in his solus omnium testis oculatus erat atque narrator accuratissimus ubique apparet, ex commentariis minus integris et accuratis emendare velle. Cf. *Usteri* comm. crit. p. 64.

Digitized by Google

Not. apud M. vs. 72 locutionem ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, illustratam ex Mt. et L. ἔκλαυσε πικρῶς (ɔ: incidit, irruit in lacrymas) *).

CXXXI.

Matth. 26, 59—68. Marc. 14, 55—65. Luc. 22, 63—71.

Christus coram synedrio accusatus damnatur atque ludibriis vexatur.

Tempus synedrii convocati ex L. vs. 66 constat ὡς ἐγένετο ἡμέρα, ɔ: post tertiam vigiliam noctis s. gallicinium, de quo M. vs. 72: καὶ ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε.

In *summa et capite rei* consensus triumvirorum est: Jesum, ceu impie locutum propter dignitatem suam messianam et gloriam futuram declaratam, a Synedrio damnatum atque ludibriis militum traditum esse.

Sed brevior omnino narratio *L.* est, neque per singula eundo actus forenses varios distinguit: nihil de testibus habet, nihil de pontifice interrogante; mox vero ad quæstionem finalem transsilit (εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς;), ipsam interrogationem synedrio toti committens. Deinde apud *L.* vexationes militum tempore priores sunt interrogatione forensi, quum Mt. et M. ordinem invertunt; sed fatendum est, ordinem unum alterum h. l. non tollere.

Mt. et *M.* narrationem ut uberiorem accuratioremque ita verbis plerumque consonam exhibent; nonnulla tamen a *M.* subinde *adjecta sunt*, sensum ut videtur *illustrandi explanandique causa*. Ita quod *Mt.* obscurius habet (vs. 60), synedrium, quum multi adessent testes falsi, tamen non invenisse.., *M. explicavit*

*) Explicationes alias enumeratas et dijudicatas vid. apud *Wolf.* et *Kuinoel.* ad h. l.

Digitized by Google

vs. 56: ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν' — verba testium (Mt. vs. 61): δύναμαι καταλῦσαι .., *mutavit* in κατα-λύσω (quod majorem habet impietatis speciem), atque τὸν ναὸν *explicavit* per epitheta τὸν χειροποίητον et ἄλλον ἀχειροποίητον' — ut acclamatio militum (Mt. vs. 68): προφήτευσον· ἡμῖν facilius intelligeretur, *notavit* (sic quoque L.), eos antequam percuterent caput Christi obvelasse.

Solennis autem obsecrandi formula Christo a pontifice proposita (Mt. vs. 63), apud M. *deest.*

CXXXII.

Matth. 27, 1—14. Marc 15, 1—5. Luc. 23, 1—5. Joh. 18, 28—38.

Christus in prætorium ductus a Pilato interrogatur, Interseritur narratio de funesto Judæ interitu.

Narratio plena et integra, quæ in evangeliis singulis deest, ex omnibus inter se collatis efficienda est. Nam præter historiam *de Juda*, quam *Mt.* solus additamenti instar interposuit *), *de Jesu ad Herodem*

*) Quum placuit *Mt.* hoc etiam loco narrationem ad dictum propheticum referre (vs. 9), accidisse sive ei sive interpreti ejus græco memoria fallente videtur, ut pro *Zacharia* nomen *Jeremiæ* poneret; quam quidem lectionem genuinam esse et immerito sollicitatam, rectissime jam *Augustinus* judicavit, de cons. evv. III, 29, ubi: "et plures codd.", inquit, "habent Jer. nomen —, et nulla fuit causa, cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codd. tolleretur, fuit utique causa, ut hoc audax ignorantia facaret, quum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Jer. non inveniretur." Cf. *Orig.* comm. in Mt. ad h. l: "Suspicor aut errorem esse Scripturæ, aut esse aliquam Jeremiæ secretam scripturam", et *Hieron.* comm. in Ps. 77: "in Jer. invenire non potuimus, sed invenimus in Zach.; videtis ergo, quia et hic error fuit."

Digitized By Google

deductо nihil nisi apud *L.* legimus; harmoniam vero efficere difficile non est. Quamquam enim relatio *Mt.* et *M.* brevior est, uberior *L.* et *Joh.* (accedunt apud illum accusationis Judæorum capita quædam vs. 2. 5, apud hunc colloquii Pilati cum Judæis atque Jesu fragmenta, vs. 29—31. 34—38), at momenta nonnulla tamen omnibus communia sunt: interrogatio Pilati: σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; atque liberatio Jesu vel Barrabæ Judæis a Pilato relicta. Jam vero, quum inter hanc utramque legimus apud L. Jesum ad Herodem deductum fuisse, in hoc rerum ordine eo magis acquiescimus, quod *intervallum narrationis* aliquod apud Mt. vs. 14 et M. vs. 5 in eodem loco, prima interrogationis parte absoluta, indicari videtur.

Ea autem quæ in conspectu populi tumultuantis acta sunt distinguentes ab iis quæ intra parietes Pilati domesticos, in singulis evangeliis singula hac ratione nectenda esse videbimus:

Joh. 18, 29—32. *L.* vs. 2:

Jesum, accusantibus Judæis, Pilatus judicare recusat.

Joh. vs. 33—37. *Mt.* vs. 11. *M.* vs. 2. *L.* vs. 3:

Pilatus cum Jesu colloquitur.

Joh. vs. 38. *L.* vs. 4. 5. *Mt.* vs. 12—14. *M.* vs. 4. 5:

Pilatus Jesum insontem declarat, Judæis clamore obstrepentibus.

Tempus, quo in prætorium Pilati Jesus deductus est, indicatur a *Mt. M.* et *Joh.*: πρωΐ s. πρωΐας γενομένης; h. e. *in quarta vigilia noctis* (h. III—VI matut.) *). *Mt.* autem, quod *minus accurate* scripsit: πρωΐας γενομένης συμβούλιον ἔλαβον, non de sententia mortis intelligi debet (de qua jam supra vs. 66 mentionem fecit), sed de deliberatione, quid cum pro-

*) De verbis Joh... ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, vid. notata p. 147.

Digitized by Google

curatore romano agendum esset, antequam reum supplicio tradere liceret; accuratior apud *M.* constructio verborum est: πρωΐ συμβούλιον ποιήσαντες .. ἀπήνεγκαν...

CXXXIII.

Luc. 23, 6—12.

Christus ad Herodem deductus mox ad Pilatum reducitur.

CXXXIV.

Matth. 27, 15—30. Marc. 15, 6—19. Luc. 23, 13—25. Joh. 18, 39—19, 16.

Christus, urgente populo, a Pilato invito damnatur.

In evangeliis prioribus narrationem *Lucæ* plenissimam habes, qui ea, quæ *trina vice* tentata fuerint a Pilato ad Jesum liberandum, opera data distinguit (vs. 15. 16. — vs. 20; πάλιν — vs. 22: τρίτον). Verum ut hæc ipsa longe accuratius a *Joh.* describuntur (vs. 5: ἰδὸ ὁ ἄνθρωπος. vs. 14: ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν), ita *narratione* ejus *pragmatica* ostenditur, quibusnam Judæorum minis, quonam timore Pilatus ad sententiam mortis adductus contra voluntatem fuerit (vs. 7: ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ ἐποίησεν. vs. 12: ἀντιλέγει τῷ καίσαρι); idem *diem* quoque (παρασκευὴ τοῦ πάσχα) *) et *horam* diei *sextam* (i. e. duodecimam nostram) **) indicavit,

*) De quo vid. notata p. 148.

**) Neque enim hora sexta numerari debet a *media nocte* adeoque sexta matutina intelligi (*Möller* neue Ansichten schwieriger Stellen d. Evv. p. 166, quod et *mihi* antea probabile visum est; Augustinus interpres S. Script. p. 116); nam Romani in *singulis mensis diebus* designandis certe a *media nocte* inceperunt (vid. supr. p. 147), sed in *singulis diei horis* distinguendis ab *ortu solis* ut Judæi.

Digitized by Google

addita tribunalis magnifici mentione (vs. 13: *Διθόςρωτον, ἑβρ. Γαββαθᾶ*).

Neque tamen difficile est, narrationem *Joh.* exornatiorem ad simpliciorem triumvirorum revocare; nam ex momentis narrationis aliquot, quæ pluribus communia sunt, hic fere ordo rerum efficitur:

Luc. vs. 13—16:

Pilatus innocentiam Jesu testatur.

Joh. 18, 39. 40. *L.* vs. 17–19. *Mt.* vs. 15–21. *M.* vs. 6–11:

Judæi, Barrabas ut ipsis reddatur, postulant.

Joh. 19, 1–3. (*Mt.* vs. 26–30. *M.* vs. 15–19?):

Jesus flagellatus tormentis et ludibriis vexatur.

Joh. vs. 4–7. *L.* vs. 20. 21. *Mt.* vs. 22. *M.* vs. 12. 13:

Judæi Jesum, oculis ipsorum expositum, cruci affigi jubent.

Joh. vs. 8–11:

Colloquium Pilatum inter et Jesum iterum instituitur.

Joh. vs. 12–15. *L.* vs. 22. 23. *Mt.* vs. 23–25. *M.* vs. 14:

Pilatus extrema vice Jesum morti eripere conatur.

Joh. vs. 16. *L.* vs. 24. 25. *Mt.* vs. 26. *M.* vs. 15:

Pilatus, minis Judd. perterritus, Jesum capitis damnat.

Unum in his *difficultatem habet*, quod *flagellatio* et ludibria militum apud Joh. actum judicii præcedunt, quum apud Mt. et M. ex ipsa sententia mortis dictata sequuntur; id quod videri posset ut ad justitiam forensem ita ad veritatem propius accedere. Verum enimvero, ut vix dubitare licet, quin cruciatus iidem, non diversi ante et post sententiam mortis repetiti, intelligendi sint (nam pallium coccineum et corona spinea ab omnibus commemoratur), ita certum videtur, Jesum, antequam damnatus fuerit, crudeliter vexatum fuisse (Joh. vs. 5: *ἐξῆλθεν φορῶν τὸν ἀκάνθινον σέ-*

Digitized by Google

φανον...); sic vero probabile est, verbera non defuisse, quo facilius animi Judæorum ad misericordiam flecterentur, ex verbis Pilati apud L. vs. 16. 22: παιδεύσας ἀυτὸν απολύσω, Matthæum et Marcum vero per recapitulationem rem seriore loco narrasse.

Neque in breviore *Matth.* narratione desunt, quæ ipsi propria sint: vs. 19: exhortatio uxoris Pilati somnio terrefactæ — vs. 24: manuum in conspectu populi lotio symbolica. Hæc vero a M. omissa sunt, qui in aliis etiam brevitatis studiosus est (vs. 11 coll. Mt. vs. 20. 21); *consensûs verbalis* autem in observatione psychologica, qui fortuito nullo modo adesse potuit, *exemplum memorabile* videsis Mt. vs. 18, M. vs. 10 (ἤδει, ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν ἀυτόν).

Not. crimina Barrabæ a M. vs. 7 et L. vs. 19. 25. indicata: στάσις κ. φόνος.

CXXXV.

Matth. 27, 31. 32. Marc. 15, 20. 21. Luc. 23, 26—32. Joh. 19, 17.

Christus ad supplicium ducitur.

Narrationem *Mt.* et *M.* breviorem egregie auctam habemus *additamento Lucæ pulcherrimo*, verbis quibus Jesus in itinere crucis, ad mulieres conversus, poenitentiam salutarem indixit.

Marcus, quæ ejus solet esse in rebus minutioribus solertia, nomina filiorum Simonis Cyrenaici adscripsit, annotavit quoque (quod L. etiam habet), eum tempore illo ex agro forte rediisse.

---

*) Ita *Augustin.* de cons. evv. III. n. 36. *Chemnit.* harm. II p. 1901. *Bengel* p. 553. *Paulus* Comm. III p. 694, 98. *Usteri* l. l. p. 74.

Digitized by Google

Joh., omnibus illis omissis, hoc unum observavit, quod absque dubio visum ipsi est non sine vi religiosa evenisse, Jesum ad locum supplicii crucem ipsum deportasse.

Not. formulam apud *Mt.* et *M.* ἐγγάρευσαν ἵνα ἄρῃ (cf. Mt. 5, 41) explicatam a *L.*: ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σανρὸν.

CXXXVI.

Matth. 27, 33—56. Marc. 15, 22—41. Luc. 23, 33—49. Joh. 19, 17—30.

Christus, cruci cum latronibus duobus affixus, moritur.

In narratione de supplicio Christi haud pauca *apud Joh. unice* reperiuntur, eaque ut attentione dignissima ita uberius et diligentius exposita, ut in teste oculato propius adstante fieri potuit: de titulo crucis Judæis renitentibus a Pilato confecto (vs. 19—22), de vestimentis quadripartito divisis, tunicâ vero uni militum integrâ relictâ (vs. 23. 24), de matre Jesu curis Johannis commendata (vs. 26. 27), ne alia afferam minoris momenti accurate notata: Jesum inter latrones medium cruci affixum (vs. 18), Mariam matrem Jacobi et Josis (Mt. M.) Clophæ sive filiam sive uxorem fuisse *) (vs. 25). Avero his diligentius enarrandis ita immoratus esse videtur, ut alia multa silentio præterierit. Hæc autem commode cum ex *Mt.* et *M.* tum ex *L.* etiam explentur, qui nonnulla quidem apud duumviros uberius descripta breviter absolvit (vs. 35. 36

*) Cf. *Hug.* Einl. in d. N. T. II p. 519. *Lücke* comm. ad h. l.

Digitized by Google

cf. Mt. vs. 39—43. 46—49. M. vs. 29—32. 34—36), sed in aliis addendis vel definiendis magna usus est diligentia: pia vota pro hostibus facta esse (vs. 34) — titulum litteris romanis, græcis et hebraicis scriptum (vs. 38, cf. Joh. vs. 20) — latrones unum pietate alterum impietate insignes (quum Mt. et M. verba impia utrique tribuunt) — verba ultima Jesu vs. 46 (quum Mt. et M. simpliciter habent: κράξας s. ἀφεὶς φωνήν).

In Marco eum videbis cum in rebus singulis enarrandis (vid. inpr. Mt. vs. 39—42 & M. vs. 29—32) tum in narratis disponendis componendisque (vid. inpr. Mt. vs. 35—38 & M. vs. 24—27. Mt. vs. 54—56 & M. 39. 40) *cum Mt. consensum*, qui sine usu evangelii scripti existere non potuerit; neque, si quæ aliter leguntur, fortuito mutata esse videntur, sed ut *sensus luculentior et facilior* fieret: ex. c. *Mt.* vs. 33: λεγόμενος. *M.* vs. 22: μεθερμηνευόμενον — *Mt.* vs. 34: ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. *M.* vs. 23: ἐσμυρνισμένον οἶνον — *Mt.* vs. 37: τὴν αἰτίαν γεγραμμένην. *M.* vs. ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας ἐπιγεγραμμένη — *Mt.* vs. 50: ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *M.* vs. 37: ἐξέπνευσε — *Mt.* vs. 56: Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου. *M.* vs 40: add. τοῦ μικροῦ.

Neque tamen exempla desunt narrationis a M. *in deterius mutatæ;* ita, quum *Mt.* vs. 54 admirationem centurionis ad portenta naturæ physicæ in morte Christi retulit, miro modo Marcus eam inde derivavit, quod videbat Christum cum clamore aliquo exspirare (ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσε, vs. 39), sive mortis celeritatem sive tranquillitatem indicare voluit; hoc autem ex *L.* accepisse videtur, qui simpliciter habet ἰδὼν τὸ γενόμενον (vs. 47), referendum sine dubio ad portenta ista (vs. 45), sed cum ambiguitate aliqua positum, ut

Digitized by Google

de ipso quoque mortis momento (vs. 45) explicari posset. *Exemplum aliud* hoc est: quæ *Mt.* tradit (vs. 48. 49), unum ex militibus Jesu potum porrexisse, reliquos autem impediisse irridentes, ut Eliæ exspectaretur adventus, bene inter se cohærent; non ita vero quæ apud *M.* vs 35. 36: qui potum porrexerit, eundem, sibi quasi repugnantem, dixisse: sinite! videamus, num venturus sit Elias!

Tempus supplicii et mortis quod attinet, Joh. tacente, trium virorum consensus est: Jesum *h.* 3^ta^ (nona matut.) cruci esse affixum (M. vs. 25), ab *h.* 6^ta^ inde (o: duodecima) tenebras incubuisse terræ (Mt. vs. 45. M. vs. 33. L. vs. 44), versus *h.* 9^nam^ (o: 3^t.^ pomerid.) Jesum exspirasse (Mt. vs. 46. M. vs 34). Sed *repugnat Johannes*, qui sententiam mortis *h.* 6^ta^ (o: 12^ma^) dictatam esse refert (c. 19, 14, vid. supr. p. 163), et ita manifeste repugnat *), ut conciliari cum nostris non

*) De variis multis rationibus, quibus conciliationem tentarunt, copiose et accurate egit *Rus* (harm. IV p. 1163—1179); quarum ingeniosissima facile ea est, quæ placuit *Calvino*, *Chemnitio*, *Grotio* al.: distinxisse Judæos horas diei *minores* seu proprie sic dictas, ab ortu solis numeratas, et *majores* improprie horas dictas, quum essent quatuor diei quadrantes, trinis horis constantes, quæ dicebantur prima – tertia – sexta – nona, ex ea videlicet hora, unde singuli inceperunt; quod ita apparet: I: h. 1—3. III: h. 4—6. VI: h. 7—9. IX: h. 10—12; Johannem igitur horam sextam indicasse proprie sic dictam, horam tertiam vero apud Marcum intelligendam esse quadrantem tertium, et quidem h. l. finem ejus s. horam sextam.

Verum explicatio hæc magnis premitur difficultatibus. Nam, admissa etiam illa quadripartita diei divisione, nomina quibus singulæ partes distinguuntur non solum excogitatæ sunt in gratiam hypotheseos, sed per se etiam

Digitized by Google

sine conjectura possit, erratum esse sive hic sive illic lapsu memoriæ vel calami *).

Not. apud M. vs. 39 vocab. latinum κεντυρίων (Mt. L. ἑκατόνταρχος) — apud eundem l. l. verba singulari ratione composita: ὁ ἄνθρωπος οὗτος υἱὸς ἦν θεοῦ, cum loco parallelo apud L.: ὁ ἄνθρ. οὗτος δίκαιος ἦν **) apud Mt. vero vs. 52. 53 miram istam de mortuis ex sepulcris excitatis et urbem ingressis narrationem ***).

---

incommoda, quia prima pars certe a hora prima incipit, sed tertia a quarta, sexta a septima, nona a decima initium habet. Deinde obstat usus horas numerandi in aliis Marci locis capitis ejusdem, vv. 33. 34, ubi non nisi minores intelligi possunt. Denique vero, quamquam mirum illud hysteron proteron evitatur, difficultas tamen manet, quum damnatio (Joh. 19, 14) atque supplicium (M. 15, 25) et obscuratio solis (L. 23, 44) ex hypothesi ista in horam eandem 3: sextam cadunt.

*) Ita plerisque verisimile visum est et videtur, præeuntibus jam *Hieron.* (comm. in Ps. 77) et *Theophyl.*, textum Joh. tempore jam antiquissimo vitio scriptoris corruptum esse, littera Γ' (3) mutata in ϛ' (6). Vid. *Chemnit.* l. l. *Kuinoel. Lücke* ad h. l.

**) Bene de his observavit *Usteri* (comm. crit. p. 85): "Ceterum Lucas illud magis accurate tradit quam reliqui; neque enim verisimile est, Chr. a centurione υἱὸν τ. θεοῦ sive judaica sive græca vi esse nominatum; quæ verba e Judæorum argumentatione vel potius accommodatione nata esse videntur." Cf. *Saunier* l. l. p. 153.

***) Cf. *Schleiermacher.* l. l. p. 293 f. *Eichhorn.* Einl. I. p. 487—89. *Usteri* l. l. p. 83 s., qui sensum religiosum imagine poetica adumbratum esse existimat: "Chr., ad inferos descendens, mortis januas fregit, vincula solvit, formidinem fugavit."

Digitized by Google

CXXXVII.

Joh. 19, 31—37.

Latus Christi perfoditur.

De voce παρασκευὴ (cf. vs. 14) vid. supr. p. 148. μεγάλη ἡμέρα τ. σαββάτου ὅ: dies duplici sanctitate insignis, quum ad honorem sabbati solennia paschalia accesserunt, cf. c. 7, 37: ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τ. ἑορτῆς *).

Not. quanta cum vi et emphasi Joh. h. l. ad testimonium oculorum provocaverit (vs. 35), sive ut documento physico veritatem mortis certam indubitatamque faceret, sive — quod contextus magis suadere videtur — ut consensus rei mirabilis cum locis propheticis V. T. appareret: vs. 36: ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.

CXXXVIII.

Matth. 27, 57—61. Marc. 15, 42—47. Luc. 23, 50—56. Joh. 19, 38—42.

Christus sepelitur.

Ratione *temporis dissensus* adesse videtur; *Mt.* et *M.* enim sepulturam ad *vesperam* referunt (ὀψίας γενομένης), quum verbis Lucæ (vs. 54) indicari videtur tempus nocturnum, *die proximo jam illucescente* (σάββατον ἐπέφωσκε). Sine dubio vero formula hæcce ex singulari quodam usu loquendi Judæorum expli-

*) Nomen festi paschalis ἑβδομας μεγάλη, in eccl. chr. a seculo inde 5to usu communi receptum, exstat jam in *constitt. apost.* VIII. 33; sabbatum paschale autem σάββατον μέγα jam apud *Chrysost.* ep. 1. ad Innocent. appellatur. Cf. *Bingham.* orig. eccl. IX p. 238.

Digitized by Google

canda est, qui, quum dies singulos ab initio vesperæ numerarent, haud incommode vesperam ipsam diluculum dixerunt, relicta notione lucis propria et primitiva *).

In reliquis consensus triumvirorum cum in rebus narratis tum in verbis sæpius adest. *M.*, in plurimis cum *Mt.* faciens, *alia ex L.* recepit (Josephus Arimath. βουλευτὴς (Mt. ἄνθρωπος πλούσιος) — προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τ. Θεοῦ (Mt. distinctius ἐμαθήτευσε) — καθελὼν ἀντὸν sc. ἀπὸ τ. ξαυροῦ), *alia aliunde* uti solet accuratius adjecit: τολμήσας εἰσῆλθε (Mt. L. προσελθὼν) — de Pilato rationem mortis Christi ex centurione sciscitante — Maria mater Josis (Mt. ἡ ἄλλη Μαρία). Exemplum vero *utriusque evangelii a Marco concilìati* adest vs. 42, ubi Mt. habet ὀψίας γενομένης, L. ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, M. autem utrumque composuit: ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ. — Neque *apud L. additamenta* desunt: probitas Josephi laudata — annotatio geographica: Arimath. πόλις τ. Ἰουδαίων — de mulieribus aromata parantibus.

Ita *Joh.* quoque, cum reliquis optime conspirans, nonnulla hìc illic sibi *propria* habet: Josephus κεκρυμμένος διὰ τὸν φόβον τ. Ἰουδαίων — Nicodemus operam ad officia pietatis conferens — pollinctura funebris paulo accuratius descripta — locus sepulcri (κῆπος — ἐγγὺς ἦν) indicatus.

---

*) Cf. *Chemnit.* harm. II p. 2059. *Paulus* Comm. ad h. l. Nam quod *alii* explicant ex luce lunæ et siderum vespere orientium *(Grot., Casaub., Rus.* IV p. 1392), *alii* ex candelis et lucernis vespera prosabbati accensis *(Lightf., Kuinoel.)* vereor ne argutius quam verius excogitatum sit.

Digitized by Google

Not. consilium ut videtur *apologeticum*, quum sepulcrum in rupe excisum, novum neque funere ante Christum occupatum fuisse observant (Mt. *ἐν πετρῷ μνημείῳ*. L. J. *οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος* s. *ἐτέθη*), ut suspicioni de corpore Jesu cum alio forte permutato obviam itetur.

CXXXIX.

Matth. 27, 62—66.

Sepulcrum Christi ab excubiis militum custoditur.

Dies Sabbati nomine h. l. venit *ἡ ἡμέρα μετὰ τὴν παρασκευήν*.

Digitized by Google

Pars Quarta.

De Resurrectione Jesu Christi Et Reditu In Coelum.

CXL.

Matth. 28, 1—10. Marc. 16, 1—11. Luc. 24, 1—12. Joh. 20, 1—18.

Christus ex morte excitatus suis apparet.

Collatio evangeliorum instituta *difficultates* h. l. *complures* facit *).

Primum, quomodo *Mt.* et *M.*, qui *angeli unius* mentionem fecerunt, conciliandi sint cum L. et Joh. qui *duos* commemorant **), quæstio est jam antiquis ecclesiæ seculis multum agitata ***); verum enimvero quum res ipsa, ut religioni consulatur, nullius plane momenti sit, tum etiam evangelistæ de ea nihil referre habuere, nisi quod ex ore mulierum acceperant (nam Petrus præter lintea nihil videbat, L. vs. 12. Joh.

*) Cf. *Griesbach.* progr. de fontibus, unde evangg. suas de resurrect. Domini traditiones hauserint (opusc. acad. II pag. 241—56). *A. H. Niemeyer* prol. de evangelistarum in narrando J. Chr. reditu in vitam dissensione. 1824.

**) Nam angeli certe intelligendi sunt qui apud M. et L., nomine angelorum omisso, dicuntur *viri vestibus splendidis induti.* Discrimen est, quod hi in *specie* externa subsistunt, quæ oculis apparuerit, Mt. et Joh. vero *naturam* eorum, ut mulieribus persuasum erat, nomine designant.

***) Cf. *Orig.* c. Cels. II. 36. 37. *Augustin* de cons. evv. III. 63. 67. 69.

Digitized by Google

vs. 6. 7); quas trepidas et tremebundas (M. vs. 8: ἔιχε ἀντὰς τρόμος κ. ἔκστασις) in rebus referendis haud satis sibi constitisse, credibile admodum est *).

Deinde quæri possit, num mulieres ipsæ præsentes vidisse dicantur angelum de coelo descendentem et lapidem de sepulcro volutantem; nam apud Mt. certe res ita narratur (vs. 2—4), ut de hoc dubitari queat. Sed quum nihil obstet, quo minus de tempore jam præterito verba explicentur (καταβὰς – προσελθὼν – ἀπεκύλισε), eo magis hanc admittimus explicationem, quod M. L. et Joh. verbis disertis affirmant, quum mulieres ad sepulcrum accesserint, lapidem jam remotum fuisse. Quare non h. l. narratio rei historicæ adest, sed pia aliqua de re facta meditatio.

Difficultatem aliam, eamque uti videtur majorem quam ut tolli sine conjectura possit, *tempus* facit. Indicatur enim verbis Mt. (ὀψὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων) secundum explicationem, quam nuper secuti sumus, *dies sabbati vesperascens*, quum instabat inde ab hora 6ta initium diei septimanæ primi. Sed tempori huic aperte repugnat, quod a reliquis notatum est, *diluculum hujus diei (solis)*: M. πρωΐ τῆς μίας σαββάτων, ἀναστείλαντος τ. ἡλίου. L. τῇ μιᾷ τ. σαββάτων, ὄρθρου βαθέος. Joh. πρωΐ, σκοτίας ἔτι ὔσης **).

---

*) Cf. quæ optime ad h. l. observavit d. *Lücke* (Comm. über d. Schr. d. Joh. II p. 498 f.).

**) *Augustin.* (de cons. evv. III. 65) ad nodum hunc solvendum monuit, Matthæum per figuram synecdoches vesperam posuisse pro ea noctis parte, quæ sabbato elapso luce solis orientis terminatur. Ad explicationem eandem interpretes recentiores plerique inclinant: *Paulus*, *Kuinoel*, *Fritzsche*, *Hug* (Einl. II p. 286), vertentes:

Digitized by Google

Tum vero neque de *numero et nominibus mulierum* una relatio est. Mt. enim præter Mariam Magdalenam unam modo habet, quam minus distincte alteram Mariam dicit (ἡ ἄλλη M.), M. autem et L. accuratius Mariam matrem Jacobi (cf. Mt. 27, 56); M. vero tertiam addit Salomen, et L. Johannam, sive personæ duæ intelligendæ sunt, sive duo nomina personæ ejusdem; Joh. denique Mariam Magdalenam solam nominavit, quamquam plures adfuisse subindicavit verbis Mariæ vs. 2: οὐκ οἴδαμεν.

Sed major quæstio est, *quanam ratione et quo ordine* ea se excipiant, quæ de primis indiciis resurrectionis Christi narrata sunt. *Matthæi* enim narratio

---

post sabbatum, quum præteriisset dies sabbati. Sed num ita vertere liceat, merito dubitatur. Recte quidem monetur, ὄψε non solum *adverbialiter* positum indicare vesperam, sed *præpositionis instar* indicare βραδυτητα κ. μακρον χρονον· verum hoc ita sine dubio intelligendum est, ut significetur temporis illius, de quo sermo est, pars extrema, non autem tempus ab illo tempore diversum, quod eo præterlapso adest; neque igitur intelligi h. l. potest nisi *pars extrema sive sabbati sive septimanæ, quæ sabbato finitur.* Quare laudandi videntur *Calvin.* (harm. p. 435), *Chemnit.* (harm. II p. 2080), *Rus.* (IV p. 1413, 16. 21) al., qui, ne verba vim paterentur, distinguere maluerunt, ille excursum vespere paratum mane vero factum, hi autem duos excursus, priorem vespere (Mt.), alterum diluculo primo (M. L. J.). Sed proxime ad veritatem accedere videtur *conjectura Hieronymi* (ep. ad Hedib.): dissensum ortum esse ex prava versione evangelii hebraici Mt., in quo indicatum fuerit crepusculum — non vespertinum, quod intellexit interpres quisquis fuerit græcus, sed — matutinum, sabbato præterlapso. Recepit hanc conjecturam temporibus nostris *Michaelis* (Begräbn. u. Auferst. Gesch. p. 108).

Digitized by Google

hæc est: mulieres, quum ad sepulcrum accessissent, edoctas fuisse resurrectionem Christi ab angelo, quo jubente mox redierint ut nuntium afferrent discipulis, inter eundum vero *ipsis* apparuisse Christum, qui mandatum angeli suis verbis repeteret. Eodem fere modo *L.*, sic tamen ut de apparitione Christi nihil habeat, *Petri* vero ad sepulcrum postea accurrentis mentionem breviter injiciat. *Aliter* res apud M. narrata est: primum mulieres ad sepulcrum accessisse, angelo vero jubente rediisse, eorum tamen quæ viderant nihil cuiquam indicantes, deinde vero Mariæ Magdalenæ *soli* Jesum apparuisse, quæ discipulis nuntium lætum attulerit.

Hæc vero quomodo conciliari commode possint, egregie *Joh.* docet, qui harum rerum magna ex parte testis (ὁ ἄλλος μαθητὴς), cum narrationem a *M.* et *L.* brevissime adumbratam de Magdalena et de Petro accurate instruxit, tum vero temporum ordinem a *Mt.* neglectam restituit. Licebit igitur, Johanne duce ac auspice, *harmoniam narrationum* hoc fere modo construere:

1. *Joh.* vs. 1. 2. *Mt.* vs. 1–4. *M.* vs. 1–4. *L.* vs. 1–3:
   Mulieres mane ad sepulcrum accedunt; Magdalena ad Petrum et Johannem mox recurrit, de lapide devoluto referens.
2. *Mt.* vs. 5–8. *M.* vs. 5–8. *L.* vs. 4–11:
   Mulieres reliquæ ab angelo admonitæ ad discipulos redeunt.
3. *Joh.* vs. 3–10. *L.* vs. 12:
   Petrus et Joh. interea ad sepulcrum accedunt, quo inspecto redeunt.
4. *Joh.* vs. 11–18. *M.* vs. 10. 11:
   Jesus Magdalenæ ad sepulcrum restanti apparet.

Digitized by Google

5. *Mt.* vs. 9. 10:

Jesus reliquis mulieribus redeuntibus in itinere occurrit.

Singula quod attinet, *Marcus* propius *Mt.* secutus est, (vid. inprimis vs. 7. 8), quamquam liberius rem tractavit, alia accuratius distinguens (aromata vespere – *διαγενομένου τ. σαββάτου* – coemta, postridie mane ad sepulcrum allata), alia uberius describens: vs. 3: sermocinatio mulierum de lapide provolvendo.

CXLI.

Matth. 28, 11—15.

Sacerdotes Judæorum, nuntio resurrectionis accepto, rumores mendaces fingunt.

CXLII.

Luc. 24, 13—35. Marc. 16, 12. 13.

Duobus discipulis Emauntem euntibus Jesus inter ambulandum se adsociat.

Dies idem est, quo Jesus resurrexit (vs. 13: *ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ*. vs. 22: *τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον — γυναῖκες γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον*), isque *jam vesperascens*: vs. 29: *πρὸς ἑσπέραν ἔστι, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα.* Prius autem Dominum apparuisse *Petro*, constat ex vs. 34: *ὤφθη Σίμωνι*, cf. 1 Cor. 15, 5: *ὤφθη Κηφᾷ.*

M. in brevissimo narrationis compendio tamen additamentum aliquod habet: *ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ*, credo ut occurreret dubitationi, quomodo oculis discipulorum Dominus inter ambulandum et confabulandum ignotus fuerit (L. vs. 16: *οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο*).

Digitized by Google

Not. discipulorum ad credendum tarditatem, diligenter a M. annotatam, vs. 11: ἠπίστησαν — vs. 13: ἀνδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν. Cf. L. 24, 11: ἐφάνησαν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν.

CXLIII.

Luc. 24, 36—49. *) Joh. 20, 19-25. Marc. 16, 14—18.

Christus discipulos in coenaculo congregatos adit, docens, exhortans, promittens.

Narratio apud *L.* arcte conjungitur cum sect. quæ præcedit (vs. 36: ταῦτα αὐτῶν λαλοῦντων, ref. ad vs. 34. 35), itaque ad *vesperam d. Solis* pertinet. Eandem vero esse, quæ apud *Joh.* reperiatur, haud est cur dubitemus, quum utraque et tempore conveniat (*Joh.* vs. 19: ὄψης οὐσίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τ. σαββάτων) et signis physicis resurrectionis exhibitis, monstratis manibus, pedibus et latere. Neque narratio *M.* brevis et incompleta diversa existimanda est; nam, ne urgeamus verbum ἀνακειμένοις (cf. L. vs. 41: ἔχετε τι βρώσιμον ἐνθάδε;), certe quæ legimus ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, videntur adumbrationem continere eorum quæ apud *L.* et *Joh.* copiosius enarrata sunt; alia vero: πορευθέντες .. κηρύξατε, cum verbis Jesu apud *Joh.* vs. 21: ἐγὼ πέμπω ὑμᾶς, apprime conveniunt **).

*) *Bengel* (harm. p. 611), *Paulus* (Comm. III p. 928) al., narratione L. dissecta, partem posteriorem (inde a vs. 44: εἶπε δὲ αὐτοῖς) licet textu neutiquam favente ad tempus referre, malunt quo apostoli jam in Galilæam abierant.

**) Durius igitur videtur, quod *Calvino* (harm. p. 450) *Chemnit.* (harm. II p. 2223.) *Bengelio* (l. l.), *Paulo* (III. p. 909) al. placuit, narrationem M. inde a vs. 15: καὶ εἶπεν αὐτοῖς ab iis quæ præcedunt divellere, atque ad

Digitized by Google

Index continuus

Locorum Quatuor Evangeliorum.

Matth. I. 1—17. . . . pag. 3.
— — 18—24. . . . — 1.
— — 25. . . . . — 2.
— II. 1—12. . . . — 7.
— — 13—23. . . . — 9.
— III. 1—12. . . . — 9.
— — 13—17. . . . — 11.
— IV. 1—11. . . . — 12.
— — 12. . . . . — 19.
— — 13—22. . . . — 22.
— — 23—25. . . . — 24.
— V. 1—VII. 29. . — 37.
— VIII. 1—4. . . . — 44.
— — 5—13. . . . — 45.
— — 14—17. . . . — 24.
— — 18. . . . . — 25.
— — 19—22. . . . — 99.
— — 23—27. . . . — 25.
— — 28—34. . . . — 26.
— IX. 1—8. . . . . — 30.
— — 9—17. . . . — 31.
— — 18—26. . . . — 28.
— — 27—38. . . . — 33.
— X. 1—XI. 1. . . — 46.
— — 2—4. . . . . — 34.
— XI. 2—19. . . . — 51.
— — 20—30. . . . —100.
Matth. XII. 1—8. . . . pag. 60.
— — 9—21. . . . — 62.
— — 22—45. . . . — 63.
— — 46—50. . . . — 67.
— XIII. 1—23. . . . — 72.
— — 24—53. . . . — 74.
— — 54—58. . . . — 21.
— XIV. 1—12. . . . — 55.
— — 13—21. . . . — 57.
— — 22—36. . . . — 58.
— XV. 1—20. . . . — 76.
— — 21—28. . . . — 78.
— — 29—31. . . . — 79.
— — 32—39. . . . — 79.
— XVI. 1—12. . . . — 80.
— — 13—28. . . . — 82.
— XVII. 1—13. . . . — 84.
— — 14—21. . . . — 86.
— — 22. 23. . . . — 87.
— — 24—27. . . . — 88.
— XVIII. 1—14. . . . — 88.
— — 15—34. . . . — 91.
— XIX. 1. 2. . . . — 111.
— — 3—12. . . . — 113.
— — 13—15. . . . — 115.
— — 16—XX. 16. — 116.
— XX. 17—19. . . — 119.

Digitized by Google

Matth. xx. 20—28. . pag. 119.
— - 29—34. . . — 120.
— xxi. 1—11. . . . — 125.
— - 12—16. . . — 15.
— - 18. 19. . . — 128.
— - 20—22. . . — 128.
— - 23—32. . . — 129.
— - 33—46. . . — 130.
— xxii. 1—14. . . . — 131.
— - 15—22. . . — 133.
— - 23—33. . . — 134.
— - 34—40. . . — 135.
— - 41—46. . . — 136.
— xxiii. 1—39. . p. 137. 68.
— xxiv. 1—42. . . . p. 138.
— - 43-xxv. 46. p. 142. 121.
— xxvi. 1—5. 14—16. p. 143.
— - 6—13. . . . — 128.
— - 17—20. . . — 144.
— - 21—25. . . — 151.
— - 26—29. . . — 153.
— - 30—35. . . — 154.
— - 36—46. . . — 156.
— - 47—56. . . — 157.
— - 57. 58. . . — 158.
— - 59—68. . . — 160.
— - 69—75. . . — 158.
— xxvii. 1—14. . . — 161.
— - 15—30. . . — 163.
— - 31. 32. . . — 165.
— - 33—56. . . — 166.
— - 57—61. . . — 170.
— - 62—66. . . — 172.
— xxviii. 1—10. . . — 173.
— - 11—15. . . — 177.
— - 16—20. . . — 180.

Marc. i. 1—8. . . . pag. 9.
— - 9—11. . . . — 11.
— - 12. 13. . . — 12.
— - 14. . . . . — 19.
— - 15—20. . . — 22.
— - 21—28. . . — 23.
— - 29—39. . . — 24.
— - 40—45. . . — 44.
— ii. 1—12. . . . — 30.
— - 13—22. . . — 31.
— - 23—28. . . — 60.
— iii. 1—6. . . . — 62.
— - 7—19. . . . — 34.
— - 20—30. . . — 63.
— - 31—35. . . — 67.
— iv. 1—25. . . . — 72.
— - 26—29. . . — 74.
— - 30—34. . . — 74.
— - 35—41. . . — 25.
— v. 1—20. . . . — 26.
— - 21—43. . . — 28.
— vi. 1—6. . . . — 21.
— - 7—13. . . . — 46.
— - 14—29. . . — 55.
— - 30—44. . . — 57.
— - 45—56. . . — 58.
— vii. 1—23. . . — 76.
— - 9—12. . . . — 62.
— - 24—30. . . — 78.
— - 31—37. . . — 79.
— viii. 1—10. . . — 79.
— - 11—21. . . — 80.
— - 22—26. . . — 81
— - 27—ix. 1. . — 82.
— ix. 2—13. . . . — 84.
— - 14—29. . . — 86.
— - 30—32. . . — 87.
— - 33—50. . . — 88.

Digitized by Google

Singulis evangeliis autem *singula propria* sunt: Jesum coram discipulis cibum cepisse, eosque, oraculis V. T. adductis, necessitatem mortis et resurrectionis docuisse, *apud L. unice* legimus; *Joh.* de actu symbolico insufflationis atque de scepticismo Thomæ certiores nos fecit; apud *M.* denique vires eximiæ, in piis Christianis conspicuæ futuræ, poetice describuntur. Verum id tamen omnes *uno ore* testantur, faustissima quæque discipulis esse a Domino promissa: *L.* vs. 49: *ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τ. Πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς — Joh.* vs. 22: *λάβετε πνεῦμα ἅγιον κ. τ. λ.* — *M.* vs. 17: *σημεῖα τοῖς πιστεύσασι παρακολουθήσει.*

Not. formulas apud *L. synonymas: ἡ ἐπαγγελία τοῦ Πατρός* (vs. 48 cf. Act. 1, 4) — *ἡ δύναμις ἐξ ὕψους — δύναμις τοῦ ἁγίου πνεύματος* (Act. 1. 8).

CXLIV.

Joh. 20, 26—29.

Christus discipulis, Thoma præsente, apparet.

Tempus accurate notatur: *μεθ' ἡμέρας ὀκτώ.*

Accedit vs. 30. 31 *epilogus*, qui finem libro facit (accedente postea ut videtur appendicis instar c. 21^mo^), consilium ejus religiosum breviter declarans.

---

ea referre, quæ discipulis in Galilæa dicta sunt apud Mt. 28, 16 ss. Quodsi offenderit forte, M. (vs. 14) et L. (vs. 33) apostolos *undecim* præsentes facere, quum sciamus ex Joh. Thomam non adfuisse, moneri potest, apostolorum societatem nomine *τῶν ἕνδεκα* venisse, etiamsi non omnes adfuerint. Eadem ratione apostolos, mortuo Juda necdum Matthia loco ejus electo, dictos esse *τοὺς δώδεκα*, exemplo est quod dicit Paulus 1 Cor. 15, 5: *ὤφθη τοῖς δώδεκα.*

Digitized by Google

CXLV.

Joh. 21, 1—23.

Christus discipulis se in Galilæa revelat, Petro martyrium prædicens.

Qui factum sit, ut discipuli *in Galilæam* transierint, quæri utique possit, quum jusserit eos Dominus *Hierosolymæ restare*, usquedum Spiritu Sancto impulsos se et instructos ad docendum sentirent (L. vs. 49. Act. 1, 4). Res autem, per brevitatem sermonis paulo obscurior, facile supplendo explicatur: Jesum ita iubentem tempus indicasse postquam ipse discesserit, neque apostolos, dum inter ipsos versabatur, sine auctoritate ejus in Galilæam profectos esse. Cf. *M.* vs. 7: προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Mt.* 28, 16: ἐπορεύθησαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὸ ὄρος, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς.

In vss. 24. 25 *epilogus alter* adest, a manu quadam recentiore, quod docet contextus, additus.

CXLVI.

Matth. 28, 16—20.

Christus apostolis in Galilæa munus docendi atque baptizandi solenniter committit.

CXLVII.

Marc. 16, 19. 20. Luc. 24, 50—53.

Christus, apostolis inter pia vota relictis, in gloriam coelestem tollitur.

Duo rei momenta sunt, unum *historicum*, quo transitus in coelum obiter et brevissime indicatur, alterum *dogmaticum*, quod vim et potestatem coelestem voce graviore asseverat: ὁ κύριος ἀναλήφθεις s. ἀναφερόμενος εἰς τὸν οὐρανὸν ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, συνεργῶν κ. βεβαιῶν τὸν λόγον διὰ σημείων.

Digitized by Google

Joh. II. 1—11. . . — 15.
— - 12—22. . . — 17.
— - 23—III. 21. — 17.
— III. 22—36. . . — 17.
— IV. 1—43. . . — 18.
— - 43—54. . . — 19.
— V. 1. . . . . — 53.
— - 2—9. . . . — 55.
— - 10—47. . . — 55.
— VI. 1—15. . . — 57.
— - 16—21. . . — 58.
— - 22—59. . . — 60.
— - 60—VII. 1. — 60.
— VII. 2—10. . . . — 98.
— - 11—43. . . — 102.
— - 44—VIII. 1. — 103.
— VIII. 2—11. . . — 103.
— - 12—59. . . — 103.
— IX. 1—39. . . — 103.
— - 40—X. 21. — 104.
— X. 22—42. . . — 118.
— XI. 1—46. . . — 118.
Joh. XI. 47—57. . . — 118.
— XII. 1—11. . . — 123.
— - 12—19. . . — 125.
— - 20—50. . . — 143.
— XIII. 1. . . . . — 144.
— - 2—17. . . — 151.
— - 18—30. . . — 151.
— - 31—38. . . — 154.
— XIV. XV. XVI. XVII. — 155.
— XVIII. 1. . . . . — 156.
— - 2—12. . . — 157.
— - 13—27. . . — 158.
— - 28—38. . . — 161.
— - 39—XIX. 16. — 163.
— XIX. 17. . . . . — 165.
— - 17—30. . . — 166.
— - 31—37. . . — 170.
— - 38—42. . . — 170.
— XX. 1—18. . . — 173.
— - 19—25. . . — 178.
— - 26—29. . . — 179.
— XXI. 1—23. . . — 180.

Digitized by Google

Digitized by Google

Marc. x. 1. . . . . pag. 111.
— - 2—12. . . — 113.
— - 13—16. . — 115.
— - 17—31. . — 116.
— - 32—34. . — 119.
— - 35—45. . — 119.
— - 46—52. . — 120.
— xi. 1—10. . . — 125.
— - 11—14. . — 128.
— - 15—18. . — 15.
— - 19—26. . — 128.
— - 27—33. . — 129.
— xii. 1—12. . . — 130.
— - 13—17. . — 133.
— - 18—27. . — 134.
— - 28—34. . — 135.
— - 35—37. . — 136.
— - 38—40. . — 137.
— - 41—44. . — 138.
— xiii. 1—37. p. 138. 111.
— xiv. 1. 2. 10. 11. p. 143.
— - 3—9. . . — 123.
— - 12—17. . — 144.
— - 18—21. . — 151.
— - 22—25. . — 153.
— - 26—31. . — 154.
— - 32—42. . — 156.
— - 43—52. . — 157.
— - 53. 54. . — 158.
— - 55—65. . — 160.
— - 66—72. . — 158.
— xv. 1—5. . . — 161.
— - 6—19. . . — 163.
— - 20. 21. . — 165.
— - 22—41. . — 166.
— - 42—47. . — 170.
— xvi. 1—11. . . — 173.
— - 12. 13. . . — 177.
Marc. xvi. 14—18. . p. 178.
— - 19. 20. . — 180.

Luc. i. 5—25. . . pag. 1.
— - 26—38. . . — 1.
— - 39—56. . . — 2.
— - 57—80. . . — 2.
— ii. 1—7. . . . — 2.
— - 8—21. . . . — 3.
— - 22—38. . . — 7.
— - 39—40. . . — 9.
— - 41—52. . . — 9.
— iii. 1—18. . . . — 9.
— - 19. 20. . . — 55.
— - 21—22. . . — 11.
— - 23—38. . . — 3.
— iv. 1—13. . . . — 12.
— - 14. 15. . . — 19.
— - 16—30. . . — 21.
— - 31—37. . . — 23.
— - 38—44. . . — 24.
— v. 1—11. . . . — 22.
— - 12—16. . . — 44.
— - 17—26. . . — 30.
— - 27—39. . . — 31.
— vi. 1—5. . . . — 60.
— - 12—19. . . — 84.
— - 20—49. . . — 37.
— vii. 1—10. . . — 45.
— - 11—17. . . — 46.
— - 18—35. . . — 51.
— - 36—50. . . — 52.
— viii. 1—18. . . — 72.
— - 19—21. . . — 67.
— - 22—25. . . — 25.
— - 26—39. . . — 26.
— - 40—56. . . — 28.

Digitized by Google

Luc. IX. 1—6. . . . pag. 46.
— — 7—9. . . . — 55.
— — 10—17. . . — 57.
— — 18—27. . . — 82.
— — 28—36. . . — 84.
— — 37—43. . . — 86.
— — 43—45. . . — 87.
— — 46—50. . . — 88.
— — 51—56. . . — 98.
— — 57—62. . . — 99.
— X. 1—24. . . — 100.
— — 25—37. . . — 101.
— — 38—42. . . — 102.
— XI. 1—13. . . — 104.
— — 14—36. . . — 63.
— — 37—54. . . — 68.
— XII. 1-53. 57-59 — 70.
— — 54—56. . . — 80.
— XIII. 1—9 . . . — 75.
— — 10—17. . . — 76.
— — 18—21. . . — 74.
— — 22—30. . . — 105.
— — 31—33. . . — 105.
— — 34. 35. . . — 137.
— XIV. 1—24. . . — 106.
— — 25—35. . . — 107.
— XV. 1—32. . . — 108.
— XVI. 1—31. . . — 108.
— XVII. 1. 2. . . . — 88.
— — 3. 4. . . . — 91.
— — 5. 6. . . . — 86.
— — 7—10. . . . — 108.
— — 11—19. . . — 111.
— — 20—XVIII. 8. — 111.
— XVIII. 9—14. . . — 113.
— — 15—17. . . — 115.
— — 18—30. . . — 116.
— — 31—34. . . — 119.
Luc. VIII. 35—43. . . pag. 126.
— XIX. 1—10. . . — 121.
— — 11—28. . . — 121.
— — 29—44. . . — 125.
— XX. 1—8. . . — 129.
— — 9—19. . . — 130.
— — 20—26. . . — 133.
— — 27—40. . . — 134.
— — 41—44. . . — 136.
— — 45—47. . . — 137.
— XXI. 1—4. . . . — 138.
— — 5—36. . . — 138.
— — 37. 38. . . — 143.
— XXII. 1—6. . . . — 143.
— — 7—14. . . — 144.
— — 14—18. . . — 149.
— — 19. 20. . . — 153.
— — 21—23. . . — 151.
— — 24—30. . . — 149.
— — 31—38. . . — 154.
— — 39—46. . . — 156.
— — 47—53. . . — 157.
— — 54—62. . . — 158.
— — 63—71. . . — 160.
— XXIII. 1—5. . . . — 161.
— — 6—12. . . — 163.
— — 13—25. . . — 163.
— — 26—32. . . — 165.
— — 33—49. . . — 166.
— — 50—56. . . — 170.
— XXIV. 1—12. . . — 173.
— — 13—35. . . — 177.
— — 36—49. . . — 178.
— — 50—53. . . — 180.

Joh. I. 15—31. . . pag. 9.
— — 32—34. . . — 11.
— — 35—52. . . — 15.

Digitized by Google

Corrigenda et Addenda.

Pag. 16	L. 27.	repetitus. . .	*leg.* repetita.
— 21	— 10.	patrio . . .	— patria.
— 24	— 20.	ἣν συνεχομένη πυρετῷ. . .	*add.* Mt. βεβλημένην κ. πυρέσσουσαν) — vs. 31: ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς (L. ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ.
— 25	— 29.	testimonia. .	*leg.* testimonio
— 27	— 7.	Gerasæ . . .	*add.* notulam: Hæc lectionum diversitas verisimilis certe in magna testium criticorum fluctuatione videtur, ea vero inde explicanda, quod eadem provinciæ regio nunc nomine ex urbe propiore (Gadara) nunc ex remotiore (Gerasa) petito venerit.
— 29	— 20.	narratæ . . .	*leg.* narrata.
— 30	— 2.	domesticis. .	— discipulis.
— —	— 12.	Luc. 5, 15-26.	— Luc. 5, 17-26.
— 34	— 16.	Marc. 3, 7-21.	— Marc. 3, 7-19.
— 37	— 2.	Mt.	— M.
— 42	— 30.	fasta.	— fastu.
— 44	— 2.	Matth. 8, 3-4.	— Matth. 8, 1-4.
— 49	— 10.	17. 18. 21-23.	*del.*
— 82	— 1.	sect. 59na. .	*leg.* sect. 60ma.
— 89	— 14.	L. 18, 19. . .	— L. 18, 17.
— 91	— 18.	sect. 65ta . .	— sect. 66ta.
— —	— 19.	sect. 71mam .	— sect. 79mam.
— 112	— 14.	imaginis . .	— imaginem.
— 125	— 15.	Joh. 12, 9-19.	— Joh. 12, 12-19.
— 138	— 12.	Luc. 20, 45-47.	— Luc. 21, 1-4.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google